



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn


Nonii Marcelli Saiae A Roccha Gloriosa in septem Daudicos Psalmos pœnitentiales vulgò appellatos Oratoriæ Paraphrases

Saia, Nonio Marcello


Parisiis, 1558

urn:nbn:de:hbz:466:1-31647


26
721



Handwritten text, possibly a signature or date, written in dark ink on the lower right portion of the cover.



21



Ex donatione R. P. Sebastiani Scholltm

NONII MAR-
CELLI SAIAE A
ROCCHA GLORIOSA

*in septem Dauidicos Psalmos
pœnitentiales vulgò ap-
pellatos Oratoriæ*

Paraphrases.

Collegij Societatis Jesu Paderbornæ. 1598

In quibus ad Dauidis imitationem, quantum
valeat peccatoribus assidua Oratio, lachri-
marum defluxus, peccatorumque sacra-
mentalis confessio, ac vera pœnitentia fa-
cilè quisque cernere poterit.

Additæ sunt quoque in margine quædam
Annotatiunculæ peccatoribus &
orantibus valde vtilis, & mi-
nimè contemnendæ,

AD ANTONIVM TRIVVLTIVM
CARDINALEM ET IN GALLIAM
ex latere legatum.

PARISIIS,

Apud Martinum Iuuenem, sub insigni
D. Christophori, è regione gymna-
sij. Cameracensium.

1558.

[Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page]

A N T O N I O
T R I V V L T I O S. R. E.
C A R D I N A L I E T P R O P A V -
l o q u a r t o P o n t. M a x. a d H e n r i c ũ
2. R e g e m C h r i s t i a n i s. L e g a t o
d i g n i s. N o n i u s M a r c e l l u s
S a i a f œ l i c i t a t e m D.
& e x o p t a t.



N O N possum non valdè
contristari (Illustriss. &
Reuerendis. Domine) in-
cidisse nos in hanc turbu-
lentissimam ætatem, in qua duo homi-
num genera potissimum cernimus de
Euangelio multa comminisci, quæ tan-
tum abest, ut sint illa euangelica, ut ad
ipsum IESV CHRISTI Euan-
gelium subuertendum omnino conspi-
rasse videantur. Vnum etenim est ad eò
incredulum, ut nullis argumētis addu-
ci,

a 2 ci,

EPISTOLA

ci, aut saltem cōmoueri possit, ut Euangelio (quod quidem est tot martyrum sanguine consignatum, infinitis prodigijs, & miraculis, atque Apostolorum prædicatione confirmatū, ratione deinde multiplici sanctissimorum hominum comprobatum, calorū denique commotionibus, elementorum etiam motibus, postremò tandem ipsorum demonum confessione miris modis illustratū) fidem ullam habeat. Alterum verò est, quod cū Euangelium spiritu sancto suggerente ab Euangelistis scriptū esse non neget, & de eius veritate nihil addubitet præcepta tamen euangelica ita contemnit, ut non secus vitam instituat atque illi, qui nihil omnino credunt Euangelio. Vtriusque etenim generis insaniam, & delirium, in hac parte maximum, quis pius æquo animo ferat? aut quis bene sanus non vehementer contristetur in hac incidisse tem-

tem-

tempora, non bellicis tantum motibus
 quaquaversum perturbatissima, sed
 etiam tot fanaticis opinionibus de ve-
 ra pietate miris modis afflictata? Illud
 tamen hominum genus in Ecclesia Dei
 est multo perniciosius, quod cum crede-
 re videatur Evangelio, ita improbe vi-
 tam informat, ut quiduis potius esse
 iudicari possit, quam fidelis. Nimirum
 fidelis esse non potest, qui fidei opera
 quae Deus praescripsit, ut in illis am-
 bulemus ita contemnit, ut etiam ludi-
 brio habeat. Immo Fidem, Spem, &
 Charitatem prorsus abnegavit, qui-
 cunque vitam eam ingreditur, quae pe-
 cudibus est similior, quam animali ul-
 li, usum rationis habenti: Cuius gene-
 ris homines sunt hac nostra tempestate
 permulti nomine duntaxat Christiani
 re autem paucissimi. Quid plura? Ge-
 nus illud utrumque in viam iniquita-
 tis delapsum est, nec à tanto errore re-

EPISTOLA

si piscere, nec à peccatorum nexibus
pœnitentia (quam nihili facit) ieiunio,
& oratione dissolui curat, à labore po-
tius ad supplicium, quàm ad mercedem
accedere, & Mundo potius, quàm
Deo deseruire exoptans. Hinc (ut ar-
bitror) orbis Christiani impij tumultus
in peius quotidie gliscentes exorti sunt.
Hinc hæreses, & diuersæ sectæ pullu-
larunt, & ad animarum miserorum ho-
minum internecionem quotannis pul-
lulant. Hinc Europa parua mūdi pars
in quam Christiana Religio ob deper-
ditam Asiæ partem se contraxerat, se-
ctarum, & schismatum perniciosis dis-
sidijs miserè dissecta videtur. Hinc
etiam in malorum omnium (sic per-
mittente Deo) castigationem confla-
tum est vix sanabile dissidium inter
præcipuos Christiani orbis monarchas,
ut ferè nullam orbis nostri portionem,
à bellis, à cadibus, à prædonibus, ab in-
cen-

cen-

*cendijs, adulterijs, incestibus & virgi-
 num raptibus immunis esse conspiciat-
 tur. Atque interim ipsis principibus
 sic tumultuantibus Turcarum impera-
 tor in Christianorum ruinam suam ita
 dilatat imperium ut vix hominum
 posthac auxilio, sed Dei tantum mise-
 ratione, & singulari beneficio impedi-
 ri queat. Sed quomodo Deus ille Opt.
 Max. impediet, auxiliúmque homini-
 bus præstabit, nisi inuocatus? Sed inuo-
 cantem quomodo exaudiet, si pollutus
 labijs, & corde impuro inuocationem
 fecerit? Inuitandi sunt igitur paucissi-
 mi illi Christicola, ut purgati prius ab
 eorum peccatis, & noxis pœnitentia,
 illa inquam, quæ contritionem, sacra-
 mentalem confessionem, & satisfa-
 ctionem complectitur, Deum iugiter
 orantes inuocent, ut tandem exorent,
 quò sua pijsima misericordia per Ie-
 sum Christum eius filium dignetur hu-*

EPISTOLA

milibus parcere, & debellare superbos,
 sanctamque Rom. Eccl. conseruare, &
 inter Christianos principes, qui infen-
 sis animis inter se conflictantur pacem
 immittere non dedignetur. Ad tantam
 enim corruptissimorum morum luem,
 & ambitionem emouendam validis
 orationibus tanquam sapientissimis in-
 cantamentis opus est. Ad quam rem
 nos (etsi Mathematicis, & Philoso-
 phicis disciplinis satis diu insudau-
 imus) iugiter prospicientes sacras etiam
 literas iam dudum complexi sumus.
 Ex quibus non quidem (ut arbitror)
 oscitanter de toto nimirum Davidis
 Psalterio selegimus Psalms septem,
 quos scitissime Christiani Pont. & san-
 cta Rom. Eccl. pœnitentiales appella-
 runt. Habent enim quando mente cla-
 ra, & pura decantantur virtutem non
 tantum peccatoris corda molliendi, &
 ad creatorem Deum penitus conuer-
 tendi,

NUNCUPATORIA.

tendi, sed etiam ab orante, & illos humiliter decantante peccata expellendi, & expulsa in modulantis odium ponere. Postremò tandem horum Psalmodum ea virtus est, ut septem illas Psalterij cordas ex animo tangens, quicquid à Deo petierit non difficulter obtinere possit. Fœlix igitur homo, fœlix peccator, & pœnitens, si nulla prætermissa die ad Deum prostratus humili piæ mentis affectu per hos septem pœnitentiales Psalmodos adierit, & ad Prophetæ imitationem sibi peccata relaxari petierit. Ac quoniam (mea sententia) omni propè oratione Psalmodos, & ante alia illos, qui pœnitentiales dicuntur efficaciores esse arbitror, ad orantium maiorem intelligentiam, maioremque cordis compunctionem, in ipsos septem Psalmodos oratorias paraphrases (iuxta mei talenti gratiam) scribere volui. Quas quidem cum in
 lucem

EPISTOLA

lucem emittere decreuissem cui potissimum Principi, & Christiano Præsuli dedicarem diu apud me cogitans, tu solus mihi occurristi (Illustriss. ac Reuerendiss. Antistes) in cuius nomen istæ meæ (qualescunque sunt) lucubrationes publicum reciperent. Idq; multis nominibus lubentissimè à me susceptum, atque factum est, tum quòd te à multis annis tanquàm meum patronum, & Mæcenatem esse proposui, tum quòd Nouum, & Theologicum opus Nouo legato, & Cardinali eoque Theologo integerrimo dedicandum esse existimaui. tum etiam quòd istæ nostræ Oratoricæ paraphrases si tuis auspicijs exirent in manus hominum, haberiorem fructum allatura viderentur. Ac eò magis quòd te ad huius Cardinalatus fastigiũ (ut optimi quiq; norunt) non ambitio, non ullus fauor humanus, sed summi numinis voluntas euexerit. Qua de re
 fa-

NVNCVPATORIA.

factum est ut honoris ergò tu unus ex multis ad pacem componendam inter Christianis. Henricum Galliarum, & Philippum Hispaniarum Reges à Paulo quarto Pont. Max. in Galliam mittereris, Atque tuus in Regiam Parisiorum aduentus ita omnium animos satis diu afflictos erexit, ut nemo iam sit, qui non speret futurum, discussis harum rerum concussarum tempestatibus quo minus pax omnibus semper exoptatis. & tranquillitas, quæ non ita dudum fuit in Europeo orbe, eidem per te restituatur. Promittunt enim hoc ipsum nobis non modicæ rerum coniecturæ, eruditio in primis tua non vulgaris, morum item integritas à primis annis hucusque spectata cunctis, senectus quoque summi Pontificis, quæ aliò dignè quàm ad Christi gloriam, & Christianæ pietatis profectum spectare certè non potest, cuius
 qui-

EPISTOLA

quidem cum utroque Rege nunc consentio sua authoritate, & potentia te veluti sequestrum tantarum rerum, ac Regi Christianiss. per familiarem multum iuuabit, ut possis id ipsum efficere Deo nimirum sic permittente, & multiplicatis populi orationibus concedente, quod optimum futurum, & toti Christianitati commodum iudicabis. Sed ut aliquando epistola huic nostrae finem imponam (Illustriss. & Reuerendiss. Domine) hoc unum oro, & unà cum uniuerso populo Christiano abs te expecto, ut arrepto Dauidico Psalterio, atque tactis eiusdem septem Psalterij fidibus paraphrastibus, eam melodiam coram Christianiss. Rege concinas, quæ ipsius animum ad optima quæque promptissimum æquissimis legibus & salutari pace suis aduersarijs conciliet. Quò tandem cum Pont. ipso, & uniuersis principibus catholici-

cis

NVNCVPATORIA.

*cis sine molestia possit infinitas propè,
 & fanaticas de Religione, veraque
 pietate opinationes ante pauculos an-
 nos instigante diabolo enatas funditus
 extirpare, atque eadem opera præeunte
 Pont. Max. Reges, & Principes alios
 uniuersos cum suis populis singulari suo
 exemplo ad caelestium bonorum amo-
 rem ita inflammare, ut nihil posthac
 moliri velint, quod pacem uniuerso-
 rum concutiat, aut vlla ex parte Chri-
 sti religionem quoquo modo dissoluat.
 Eia igitur amplissime, ac Reuerendiss.
 Cardinalis perge quæso quod nuper
 optimis auspicijs (ut ego quidem au-
 tumo) cœpisti studiosè facere, constan-
 ter ut perficias. Dominus noster Iesus
 Christus, qui Pontificem Max. in hoc
 excitauit, ut te ad id numeris ante
 omnes præficeret, conatus tuos opti-
 mos, & voluntatem ita diriget ad glo-
 riam nominis sui, incrementa Ecclesiæ,
 Rei-*

EPISTOLA

Reiq;pub. salutem, magna cum tua
 laude, ut presentes homines mecum, &
 uniuersa posteritas tibi, tuoque nomini
 clariss. plurimum debere fateatur:
 Vale igitur, & Non. Marcellum tuum
 ita commendatum habeas, ut eum,
 fronte, qua ceteros tuos familiares se-
 renare, recreare, & adiuuare soles,
 aspicias, & adiuues, quod quidem
 aliquo si nutu cognouerit reliquas Da-
 uidici Psalterij paraphrasticas fides,
 quas tangere cepit, in lucem emittere,
 & tuo nomini dicare curabit. Iterum

in CHRISTO IESU

foeliciſſimè Vale, Ex Pari-

siorum Lutetia Nonis

Februarij.


M. D. LVIII.

Errata sic corrige

pag. 40. lin. 11. pro non est lege non es

pag. 48. lin. 5. p fidelibus lege fidelibus

pag. 116. lin. 4. pro miseris leg. miscui.



NONII MAR-
CELLI SAIÆ A ROC-

cha Gloriosa in suas oratorias Para-
phrases in septem Dauidicos Psalmos
qui pœnitentiales dicuntur, Præfatio.



ER A pœnitentia ve-
lut scala quædam est,
qua peccator homo,
qui secūdum euange-
licam parabolam de Hierusalem
in Iericho descendit, rursūmque
in Hierusalem ad pacis scilicet vi-
sionem ascendit: huius verò scalæ
septē reperimus esse gradus, qui-
bus quidem septem respondere
psalmos, qui pœnitentiales dicū-
tur, non iniuria arbitrati sumus,
quorum graduum primū timo-
rem pœnæ esse dicimus, à quo pri-
mus psalmus incipit, *Domine ne in
furore tuo arguas me &c.* secundum

A cul-

culpæ dolorem, quem in secundo psalmo Dauid optando dicebat, *Beati quorum remissa sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata: hincque peccatorum confessio, ipsorumque remissio sequitur, Delictum meum, inquit, cognitum tibi feci, & iniustitiam meam non abscondi: & iterum, Dixi confitebor aduersum me iniustitiam meam domino, & tu remisisti impietatem peccati mei. Tertium, spem veniæ esse asserimus, quam timor præcedit: & hanc rursus Dauidem in tertio psalmo clamare perspicimus, Domine ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me: Quem gradū vt dolorem comitari ostenderet, Afflictus sum, inquit, & humiliatus sum nimis, rugiebã à gemitu cordis mei. Post hæc nõ immeritò (quia spes sequitur) aiebat, Quoniam in te do-*
mine

mine speravi, tu exaudies me domine Deus meus. Quartum, mundiciæ amorem esse iudicamus, quem nõ hominis iustitiam, sed Dei misericordiam efficere nõ ambigimus, quare ipse Dauid in quarto psalmo exclamans ait, Miserere mei Deus secundum magnã misericordiam tuam, & inde subdit, Amplius laua me domine ab iniquitate mea, & iterum, Cor mundum crea in me Deus, & spiritum rectum innoua in visceribus meis. Quintum, desiderium cælestis patriæ in ordine cõsequi esse affirmamus, pro qua in quinto psalmo orabat dicens, Domine exaudi orationem meã. Præcedit enim illud contemptus præsentis vitæ, quare dicebat, Quoniam defecerunt sicut fumus dies mei, & iterum, Dies mei sicut umbra declinauerunt, & ego sicut fœnum arui, quem contem-

A 2 ptum

ptum, (quoniã consideratio æternitatis diuinæ comitatur) subiungebat, *Tu autem domine in æternum permanes, & rursus, Tu autem idem es, & anni tui non deficient*, ex quibus, quia habitationis supernæ desiderium consequitur, concludendo dicebat, *Filij seruatorum tuorum habitabunt & semen eorum in seculum dirigetur*. Sextū, diuinæ misericordiæ fiducia, & ex cōsequenti humanarum virium diffidētiam esse conspeximus, quare in sexto psalmo ex intimo corde David suspirium emittens exclamabat, *De profundis clamaui ad te domine, & hoc nō immeritò, ad cælestem enim patriam propria sua virtute peruenire diffidebat, & ideo sequebatur, Si iniquitates obseruaueris domine, Domine quis sustinebit?* Sed de ipsius Dei misericordia postea
fidens

fidens aiebat, *Quia apud dominum misericordia & copiosa apud eum redemptio.* Septimum & vltimū gradum spiritualis lætitiæ exultationem, & illam assiduam orationē efficere autumauimus, quare in septimo psalmo David ipse oculos ad Deum eleuans orabat dicens, *Domine exaudi orationem meā, auribus percipe obsecrationem meam,* per quam quidem diuinarū operationum considerationem tantū in Dei contemplationem ascēdit vt subiungens assereret, *Meditatus sum in omnibus operibus tuis, & in factis manuum tuarum meditabar,* & sic tandem exultans conclusit, *Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam.* Quibus quidem septē pœnitentiæ gradibus ad hanc terram cælestis Hierusalem omnes deduci, & ascendere concupiscere

debemus, & in iis psalmis (vt quæ concupiscimus ex voto succedât) assidua pietate meditari, & exemplo beati Augustini, qui in vltimo constitutus huiusmodi psalmos de pœnitentia, quos sibi scribi iusserat in lecto iacens contra parietem positos intuebatur, & legebat, continuè præ manibus habere, & illos legere debemus. Quam ob rem dicti sancti doctoris exemplo, aliorúmque sententiis super ipsos septem pœnitentiales psalmos quasdam oratorias paraphrases seu pias meditationes scribere dignum duximus, quibus, & ad pœnitentiam prouocari, & per pœnitentiam in Dei contemplationem lectorum, & orantium, ac pœnitentium animus promoueri valeat. Illud tamen exordio præmittendum est
licet

licet septem affectus quos septem gradibus scalæ poenitentiae appropriauimus dictis septem psalmis, tamen (vt ait Hugo in libello de Oratione) sciendum est ipsam proprietatem omnibus non inesse Psalmis, vt videlicet per totam seriem vnus extendatur affectus, sicuti ex affectu timoris in amoris affectum, sed bene sæpe sæpius ex alio in alium transitur affectum, veluti ex timoris affectu in amoris, vel spei, aut consolationis affectum iuxta quod orantis mens orando, & spiritum eleuando affici solet. Hoc autem quonam pacto per singulos psalmos cognoscatur, licet huius operis explanare non sit, quantum tamen ad propositum pertinet satis ex sequentibus apparebit.

A 4

IN PSALMOS SE-
PTEM POENITEN-
TIALES ORATORIAE
paraphrases.

*In Psalmum poenitentialem primum
Paraphrasis prima.*



*Domine Iesu Christe futuri
seculi iudex, qui bonos in
caeleste regnum tuum, ma-
los verò in æternum ignem
missurus es, dum ego reus, & indignus
peccator horrorem futuri iudicij tui cõ-
sidero, timens, ac tremens ad te clamare
compellor, & dicere,*

*Domine ne in furore tuo arguas psalm. 6.
me, neque in ira tua corripias me,
sed veh mihi quomodo immensam cle-
mentiam tuam ad furorem, & infini-
tam tuam misericordiam ad iram pro-
uocare merui, utique merui, & hac
sponte*

sponte confiteor, alioquin coactus fate-
 bor, scio tamē domine (te docente) quia
 tu semper idem es, ideo tu in varios ef-
 fectus omnino immutabilis es, de te
 quoque scriptum est, Tu autem domi-
 ne Deus virtutum cum tranquillitate
 iudicas, furens ergo semper tranquillus
 existis, sempérque placatus, non est fu-
 ror tuus, non est ira tua in te, & in
 tuo affectu, sed extra te, & in effectu
 tuo^a furor tuus pœna est inferni, & ira
 tua purgatorij pœna. In inferno quasi
 furendo arguis, & quasi irascendo in
 purgatorio corripis: in illo per iustitiam
 sine salute arguis, in hoc per misericor-
 diam saluādo corripis. Ab utroque ta-
 men eripi opto, ab utroque inquam de-
 sidero, & liberari peto, dicens, Domi-
 ne ne in furore tuo arguas me.
 Sed quo pacto? quāue hoc præsumo au-
 dacia? non utique de mea iustitia sed
 de tua misericordia, cognosco enim do-
 mine

a Dei furorē
 & iram nemo
 sanè euadere
 potest nisi is
 qui in hac vie
 ra diuinā vec-
 niam implo-
 rat.

mine quòd corripis què seruare vis, & seruas quem diligis, & denique diligis omnes humiles, ac tuæ misericordiæ submissos, & ideo humiliter deprecor Miserere mei Deus, quare? quoniã^b infirmus sum, non meæ virtutis firmitatem sed meæ veritatis allego infirmitatem: ego infirmus, tu medicus: ergo sana me domine, hîc adhibe que tu vis medicamēta, hîc ure, hîc seca: tu autem à furore tuo, & ira, hoc est, à furore vitæ me libera, nec à te ô pie medice frustra ut me sanes peto, Quoniam cōturbata sunt^c ossa mea, Ossa loquor non corporis sed animi, ipsa vires sunt animæ meæ. Sicut enim in ossibus corporis, sic in animæ viribus consistit fortitudo. Vires inquam animæ meæ sunt intelligentia, memoria, & voluntas, in quibus quidem dum sanæ sunt, sanctæ Trinitatis vera imago est, & similitudo. Sed heû me quoniam per peccatum

^b Si enim humane vires ponderandæ sunt, nullū animal tam infirmum, tam debile tam deicetum: ita ignis uum reperitur quàm homo.

^c Ossa enī dolore conturbata caro quedam mollis, & infirma apparent.

tum infirmæ factæ sunt, & ideo con-
turbata, hoc est, intra se, & contra se

d Animã hic turbata sunt: quare *d* Anima mea tur-
bata est valde, quia ergo non modi-
cum sed nimis turbata est, quoniam
omnis eius fortitudo valdè infirmata
est, dum tibi morbum meum detego,
dum medico ægritudinis magnitudi-
nem ostendo, oro ut sanes, & ad pristi-
nam reducas sanitatem. Sed tu do-

e Contēplare mine^e vsquequo, vsquequo inquam
domine sanitatem differs, non dilatio
istã crudelitas tua, sed ideo differs, ut
dum diu luctare permittis, tum vires
ex hoc persuadeas animæ abiicere ma-
la, in quibus se præcipitavit, & inde
cautior fiat, & in receptæ sanitatis cu-
stodia diligentior: vel ideo mihi cura-
tionem differs quia imperfectam tibi
offero orationē. Hic enim non tam per-
fectè oro ut audiri merear. adhuc (te
loquente) dicam, Ecce adsum. Quare
hoc?

hoc? quia non satis perfectè animam
 meam ad te cōuerto, sed nec hoc possum
 nisi tu suppleas imperfectum meum,
 ideo f Conuertere domine & eripe
 animam meam, hoc est, fac me ad te
 perfectè conuerti, durum est enim, &
 laboriosum mihi ad diuinæ lucis seve-
 nitatem, & tranquillitatem à terrena-
 rum cupiditatum caligine retorqueri.
 Eripe ergo animam meam seculi pecca-
 tis ligatam, & in sua conuersione mul-
 tis hostibus impeditam, & oppressam
 tanquam perplicitatibus huius seculi
 inherentem, & spinas quasdam dila-
 cerantium desideriorum in sua conuer-
 sione patientem. Ab ijs itaq; malis eri-
 piens, Saluum me fac propter mi-
 sericordiam tuam, Non propter iu-
 stitiam meam, quia ob peccata, & de-
 merita mea (iustitia tua considerata)
 damnatio mihi debetur. Sed propter mi-
 sericordiam tuam per quam ad te con-
 uersus.

f Viro enim
 maximis in
 perturbatio-
 nibus animi
 cōstituto viden-
 tur dominus
 auersus & ve-
 luti se alio rea-
 cepisse, cum eis
 sinit aliquan-
 diu non sine
 mirabili dispe-
 satione excru-
 ciari.

g Totus ner-
 uus visque om-
 nis nostræ
 salutis Dei mi-
 serationi &
 pietati ac
 Christimerito
 referendus est,
 potius quàm iu-
 stitiæ & me-
 ritis nostris,
 nec laboribus
 sudoribusque
 extremis, nec
 lachrimis nec
 cordis com-
 punctioni.

uersus pia mihi promittitur salus (te dicente) Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos. Tu ergo qui aduersus eras, & quem mihi aduersum me fecerat auersio, conuertere ad me quia ad te conuersus sum. Et si parum conuersus sum fac me perfectius ad te conuerti: & sic conuertere domine à vindicta tua, & eripe animam meam non solum à presenti malitia, sed à mortis furore, & miseria saluum me fac.

h Ante mortem penitere quem potest: post mortem verò retributionis tantummodo tempus est.

Quoniã nō est in morte qui^h memor sit tui, in inferno autem quis confitebitur tibi? O piissime domine non immeritò hīc mihi peccata dimitti à te postulare festino, quoniam post mortem (anima scilicet) vel in inferno non erit memoria tui, aut peccati confessio, quæ ad veniã utilis fieri possit, & fructum penitus habeat, hīc enim conuersionis tempus est. Cùm autem hoc transierit, retributionis tempus appellat.

pellabitur. Vt ergo ab hac æterna morte, & ab illa inferni damnatione per pœnitentiam liberer, Laboravi in gemitu meo, ⁱ lauabo per singulas noctes lectum meum, ^k lachrimis meis stratum meum rigabo. O fœlicem Dauidem qui has pœnitentiæ ærumnas per tot noctes viriliter sustinuit, veh autem mihi misero, qui illas una vix hora sustinere non valeo, aut minimè volo: & si quandoque velle mihi adiacet, quia tamen imperfectè volo, perficere non inuenio. Tu ergo da mihi velle, & perficere simul, da mihi laborare non solum in cordis gemitu, sed lauare lectum meum corporeis lachrimis, nec solum interius, & superficie tenus, sed intrinsecus rigare ut fletus meus non modò ad exteriora corporis, sed ad cordis vsque intima perueniat, ibique permaneat: o domine non solum lectum, vel stratum meum corporale
lachri-

ⁱ Affectus prophetae ardentis verba hæc demonstrant, & instantiam vehementemq; orationis ardorem ostendunt: conceditur. n. (ait Fabius) dicere apertius, quando dici quantum satis esse non potest. ^k præcedentem particulam explicat.

lachrimis meis lauari, & rigari peto, sed etiam spirituale, interioris scilicet conscientia, & hoc per singulas noctes, id est, per singula peccata ex ea orientia. Oriuntur quippe mihi alternatim dies ac noctes, noctes patior, cum carne seruo legi peccati, dies sentio cum mente seruo legi Dei. O utinam fugatis peccatorum noctibus, & abiectis vitiorum tenebris orirentur mihi, & clarius illustrarent virtutum dies, & gratiarum lumina. Sed heu me miserum.

*l Furorem ap-
pellat horrore
illum iam in
corde conce-
ptum, verum
extra per me-
bra ipsa per-
uagantem ubi
propheta in-
telligi voluit
succum sibi om-
nem corpora-
ris deperisse,
seque prorsus
contabuisse.*

Quia turbatus est à^l furore oculus meus. Heu heu, & iterum heu, quia oculus meus mentis scilicet meae vix ad diei, & spiritualis luminis ortum consurgere potest, quoniam turbatus est à furore, nec solum à tuo furore diuino futuro, quem timeo, & praesentis, quem sentio: sed à furore meo, quem gemo, id est à furiosa concupiscentia à primo parente transfusa, per quam quandiū

quandiu in hac sum miserabili vita li-
 cet non omnino extinctus multipliciter
 tamen turbatus est oculus meus, &
 meritò. Quia^m inueteraui inter om-
 nesⁿ inimicos meos. id est, inter
 omnia vitia & peccata mea, quæ verè
 inimici mei sunt dum me ab amore di-
 uino separant, & auertunt, inter quæ
 me inueteraui dum per inueteratã con-
 suetudinem in eis subiectum esse con-
 sentij. Sed tu domine piissime post la-
 borem, & gemitum postque imbres
 lachrimarum creberrimos da mihi tua
 consolationis auxilium ut dicere meri-
 tò valeam, Discedite à me omnes
 qui operamini iniquitatem, quo-
 niam exaudiuit dominus vocem
 fletus mei. Da mihi domine optare
 ab iniquitatum operarijs separari, non
 loco solùm, sed animo in quorum pecca-
 ui consortio, ut sit & in me tua corre-
 ctio, & mea in te consolatio innotescat,

^m Nondum
 nouum induo
 hominem, qui
 secundum Deum
 creatus est,
 adhuc seruo
 legi carnis.

ⁿ Siquidem
 nouum haud
 quaquam est
 hoc meum cum
 hostibus cere
 tamen cum do-
 lore eum luctu,
 Annosum enim
 est utpote quod
 mecum simul
 ex matris meae
 utero sit exora-
 tum, mecumque
 cum ipsis an-
 nis subcreuca-
 rit.

^o Fugatis tea-
 nebris, conso-
 lationis radio
 se tangi sensu
 fit, & ideo ho-
 stibus insula-
 tar, dicendo:
 Discedite tan-
 quam delusi
 qui operamini
 iniquitatẽ.

B

&

Et sic spiritus meus omnia sentiat.
 Quoniam exaudisti vocem fletus mei.
 Da mihi piissime domine ut iterum,
 atque iterum cum exultatione asseram,
 Exaudiuit dominus orationem
 meam, dominus deprecationem

p Hic intel-
 ligendum est
 summè fidelis
 oratione esse,
 quod exaudis-
 turus sit Deus
 in posterum,
 cum modo ex-
 audierit, alio-
 qui genus ap-
 pareret ingra-
 titudinis si sen-
 tiens se exau-
 ditum, exau-
 diendum ite-
 rum minimè
 speraret.

meam p suscepit. deprecationem in-
 quam meam pro peccatis deponendis,
 & orationem meam pro virtutibus adi-
 piscendis, quod quidem non solum do-
 mine deprecor ut pro mea, sed etiam
 pro meorum proximorum salute, &
 pro inimicorum conuersione ita exau-
 dias, ut verè audire merear melliflua
 verba tua, Ecce saluus factus es,
 iam amplius noli peccare: quibus ver-
 bis auditis exemplo viri perfecti cum

q Hic tau-
 tologia est, &
 similitudine à
 victis in acie
 mutuata uti-
 tur, qui pedè
 cum pudore
 & ignominia
 referunt.

Dauid tuo dicere audeam, Erube-
 scant, & conturbentur vehemen-
 ter omnes inimici mei. Erubescant
 meo exemplo de actibus eorum malis,
 & conturbentur iudicij terrore ad pœ-
 niten-

nitentiam non leuiter sed vehementer r. Cauendum est ne carnis affectu aliquo moti aut ira audeamus temere tyrānis, aut alio modo Dei hostibus, mala imprecari, aut de illorum infortuniis gaudere & de secundis dolere, quia nostri domini Dei voluntatē agnoscimus.
 forti cum gemitu ut sic r. Conuertantur, & erubescant valde velociter. Immo pro inimicis orandū est, ut de malis culpa recundetur & cōmōtione ad bonum conturbentur, & conuertantur valde & velociter, ne Dei ira super eos descēdat, & hoc facere debemus quia diligendi sunt inimici propter bonū naturæ & quo beatitudinis sunt capaces.
 Ne eorum conuersio, & erubescētia pœnitentia dānabiliter differatur, nisi enim in præsenti sic vita conuertantur, & erubescant, sed potius (veluti ab iniquis fieri solet) pœnitentes irrideat, ut & suis irrisionibus infirmos erubescere faciat tandēque in finali iudicio erubescant, erubescētēque dicent hi sunt quos aliquandō in derisum habuimus, nos insensati vitam illorum existimabamus insaniam, ecce quomodo computati sunt inter filios Dei, & inter sanctos illorum est sors. Quid nobis superbia animi profuit? & iactantia diuitiarum quid contulit? tunc ergo conuertantur, & erubescant. Sed hac conuersio, & erubescētia quoniam pœnitentiam salutarem habere haud uoluerit ad damnabilem eorum peruenerit

*confusionem: & hæc omnia sicut valde
velociter, quoniam quando de iudicio
separari nimis visi fuerint, & pax, &
securitas dixerint ipsasq; esse putave-
rint, tunc eis repentinus superueniet
interitus.*

IN SECUNDUM
POENITENTIALEM
Psalmum Oratoria
Paraphrasis 2.



*Domine Iesu Christe qui
culpa offenderis, & pœni-
tentiâ placaris, tu magister
optime, qui interiùs docens
cordium illuminator es, da mihi intelle-
ctum, & lumen placabile excecatoque
cordi, & tenebroso intellectui meo con-
cede, ut per pœnitentiâ piè, benignèq;
mihi ignoscatur, & culpa mea, offen-
sæque tua taliter ignoscendo deleatur
ut de*

ut de illorum valeam esse numero de
quibus per prophetam tuum Davidem
decantatur,

^a Beati quorum remissa sunt ini-
quitates, & quorum tecta sunt
peccata. O me beatum si à te domine
remissa sunt iniquitates meae, ita ut
mihi indebitam dones gratiam, cui iu-
ste potes debitam reddere pœnam, ô ite-
rum me beatum inquam si tecta sunt
peccata mea: quomodo tecta? non ita
tanquam in me sint, & uiuant, non ita
tanquam abscondita maneant, sed ut
tu Deus ea non videas, & aeternaliter
minimè punias. Te enim peccata vide-
re quid aliud est quam peccata punire?
sicut scriptum est, Auerte faciem tuam
à peccatis meis. Tu ergo ea peccata non
vides, sed ab eis faciem auertis, quae
non animaduertis nec punis. Tu ea non
agnoscis, quibus ignoscis, tu ea tegis per
gratiam, quae non imputas ad pœnam.

Psalm. 31.

Rom. 4.

a Tunc enim

Deus homini

peccatū dimit

tit cum homo

sibi ipsi suorum

operum sua

uitate illectus

peccata non

remittit non

ignoscit, & nō

tegit, sed ex

corde atq; a

nimo, nedum

ore quidem,

aut ex more

confitetur se

nihil aliud esse,

quàm pec-

catum maxie

mum, & ini-

quitate, vna

de bene sequi-

tur in textu,

Nec est in

spiritu eius

dolus,

B 3 Ideo

Ideo rectè subditur, Beatus vir cui non imputauit dominus peccatū.

b Quā multū sunt qui cū Dei spiritu ac dono aliquo perlustrati se ipsos medullitus agnoscunt, conātur tamē sibi persuadere se bonos esse, & iustos, dum interim miserimē latentem dolum in spiritu aut non sentiunt, aut non sentire, cū sentiant, arbitrantur, & sic fucum mentis & sibi imposturam imponunt, & dolus in spiritu eorum est.

Sed cui non imputat? certè ei cui peccatum ignoscit. Sed cui ignoscit? qui suū cognoscit peccatum, & agnitum non defendit: sed confitendo ab eo se abstinēt nec meritum suum sibi sed Dei gratia attribuit, de quo dicitur, Nec^b est in spiritu eius dolus, nec in ore eius, quia se cum sit peccator accusat, & corde tenet quod ore fatetur, Dolus enim est si quis peccator se iustum prædicet: qui verò sui accusator est dolo caret, cuius conditionis Publicanus ille humilis, & sui accusator erat qui dicebat, Propitius esto Deus mihi peccatori. Quare cōcinnè sequitur, Quo-

c Ab ignorantia quippè nostrorumq; iniquitatum, ac scelerum interiorum obliuio-
niam tacui inueterauerunt ossa mea, dum clamarē tota die. Quia tacui, quod tacendum minimè erat, peccatorum scilicet confessionem, inueterauerunt ossa mea, id est, defecit interior

rior

rior fortitudo animæ meæ, non tantum naturalis, sed infusa, & acquisita, Dū clamare tota die, dicēdo quæ minime dicēda erant, & meritorū iactantiam preferendo: è contrario verò si peccata clamassem, & merita tacuisse robusta quidē, & firma facta esset virtus mea.

ne, vacillātia consilia, doli, & mentis inconstātia, infirmitas, & ægritudo procedunt, & ex consequenti tyrannica occupatio succedit.

Tacui ergo undè proficerē, & clamaui undè deficerē: tacui peccatorum confessionem, & de illis non habui contritionē & clamaui meritorū presumptionē: sana mēbra medico ostendebā, vulnerata verò taciturnitate detegebā: quare non sanatus, sed sauciatus extiti, id est in peccatorum meorum vetustate reman-

si: per culpæ enim meæ confessionem, tuæ novitatem gratiæ minime quesivi, & ideo, Quoniā die, ac nocte gravata est super me manus tua conuersus sum in ærumna mea dum configitur spina. ^d O domine o pie medice qui percutiendo sanas, manus

^d Qui sanè sapiunt cū in mente sui primum peccata veniunt, ac mox pene illis debite veluti spina aliqua acutiori iuditii stimulo compungi solent.

B 4 enim

enim tua, & vindicta tua assidue die,
 ac nocte grauata est super me ad humiliandum me superbum peccata tacentem, & merita iactantem: quare conuersus sum in ærūna mea, id est in mea miseria, itaque me conuertens ad me ipsum cognoui me miserum, Dum cōfigitur spina, id est dum mea compungitur conscientia. Sicut enim spina dorsi sursum hominem erigit, sic ratio, & conscientia spiritū ad terrena prius curuatum ad superna consurgentem dirigit, hinc igitur de culpa mea compunctus, & ut peccator humiliatus aio, Delictum meum cognitum tibi feci, & iniustitiam meam non abscondi, Merito quidem delictum meum, quia facienda omisi, & iniustitiam meam, quoniam non facienda commisi, tibi confitendo aperui, & detexi, ut tu domine tua misericordia tegeres. Vnde bene sequitur, Dixi proprio

e Nunquam
 se tutum arbis
 tratur vir sapiens & qui
 probè se norit,
 sed quemadmodum
 modum continuo peccatore
 non ignorat:
 ita continuo peccatū suum
 coram supra
 mo iudice detegit.

prio

prio ore & non per alium, & corde sine dolo, Cōfitebor aduersum me iniustitiam meam domino, f & tu

remisisti impietatem peccati mei. O magna utilitas confessionis peccati ex qua maxima sequitur benignitas mi

serantis Dei. Ad solum nanque confitendi propositum remittitur peccatum, & non alium accusando. Et tu statim,

& non alius remisisti impietatem peccati mei, quia quod peto meum est, quod autem à peccato resurgo hoc tuum est.

Absit ergo à me ut peccatum meum tibi imputem, & hoc Deus voluit dicam, hoc fatum, hoc stellarum constellationes me ad perpetrandum compulerunt asseram. Hoc enim iniustitiam meam aduersum me confiteri minime esset: imò potius aduersum te, & te summum bonum de malitia accusare: dicā ergo, Domine miserere mei, sana animam meam quia peccaui tibi.

Et ne

f Vnum maxime à nobis requirit Deus: ut nos à plāta ad verticē non aliud esse nisi struma peccati confiteamur, hoc enim summe perfectionis est.

Et ne peccati remissionem paruum, ac minimum à Deo donum esse putetur, sed magnum pijs precibus exposcendum statim subiungo, Pro hac orabit ad te omnis sanctus in tempore oportuno.

g Tunc enim cum homo suū agnoscit peccatum: tempus est miserendi, tempus gratiæ, atque ad subueniendum animæ sub peccatorum onere laboranti oportunum.

Omnis enim sanctus, id est per peccati remissionem sanctificatus, pro hac orabit ad te remissione. Omnis namque sanctus tuæ auxilio gratiæ, & remissionis grauitate indiget. Sed quando orabit ad te? in tempore oportuno, id est in tempore huius mortalis uitæ in qua optimum, & oportunum remissionis tempus est. Nam post eam tempus retributionis erit. Vel in tempore oportuno, id est in tempore gratiæ per Christum tuum verum & unicum filium nostrumque seruatorem reuelata, de quo bene Apostolus dicebat, Quando venit plenitudo temporis misit Deus filium suum factum sub lege, ut eos qui sub lege erant redime-

Paulus

dimeret. Sed licet in tempore oportuno omnis sanctus oret, tamen In diluuiio aquarum multarum ad eum non approximabunt. Non enim sanctorum oratio eos eripit, qui per obstinatam, ac inueteratam absorbentur consuetudinem in diluuiio aquarum multarum, hoc est in affluetium carnalium deliciarum multitudine, sicut voluptuosi, vel in diuersorum errorum, & sectarum varietate, veluti haeretici, aut in variarum doctrinarum multiplicitate, ut sunt philosophi, seu in fatalium superstitionum vanitate, ut sunt Astronomi, qui fatali necessitati, aut caelesti fortunae omnia necessario attribuunt, vel ceremonialium obseruantiarum nimia curiositate sicuti Iudaei, qui antiquis obseruantijs carnaliter intellectis humanam contribuunt salutem, Hi, inquam, omnes in huiusmodi profundo aquarum multarum diluuiio profusi ad eum non
appro-

approximabunt, quoniam hæ aquæ di-
 uerse sunt, amaræq; & à fonte vera,
 & dulcis aquæ hoc est à Christo, qui est
 fons viuus, & pura veritatis remota.
 Quid ergo factururus sum domine, ut ab
 hoc tam periculoso aquarum multarum
 diluuiò effugiam, & ad te approxime?
 Certè (te docente) scio quòd propè est
 dominus omnibus inuocantibus eum,
 inuocantibus eum in veritate, ideò non
 solùm corporis voce sed in veritate cor-
 dis se humiliantis, & de se nihil præsu-
 mentis, ac nihil potentia suæ tribuentis
 te cum pietate inuoco, & dico, Tu es
 refugium meum à tribulatione quæ
 circundedit me ^b. Tu ergo exulta-
 tio mea erue me à circundantibus
 me, ostendendo viam rectam, & ve-
 ram, qua ab aquarum diluuiò multa-
 rum & à circundantium me malorum
 periculo eripiar. Scio etenim domine
 quia sperantes in te non deseris, quia
 ergo

h Quando
 res admodum
 perditæ, ac
 desperatè vi-
 detur, tum ad-
 est benignis-
 simus Domi-
 nus, & cum
 non speratur
 apparet.

ergo in te speravi in hac spe gaudeo, à
 teque consolatus te dicentem audio,
 Intellectum tibi dabo: id est faciã ⁱ Maximopea
 ut cognoscas bonum & malum, & sic ^{re cauendum}
 ab hostium insidijs liberaberis, Et in- ^{est nè cum di-}
 struam te in via hac qua gradieris, ^{uinatum re-}
 patefaciendo tibi præcepta mea, qua ti- ^{rum contem-}
 bi via erunt ad salutem: & ne quis noceat ^{plationi incu-}
 mihi subiungendo asseris, Firmabo su- ^{bimus, aliun-}
 per te oculos meos, id est mea pro- ^{ductore, eru-}
 uidentia efficiam ut in via dirigantur ^{ditorumque ef-}
 oculi tui, & tui ipsius curam geram. Sic ^{flagitemus,}
 igitur dato mihi intellectum ipsoque insti- ^{quam Deum}
 tuto, & in te firmato conuertam me hu- ^{qui intellectu}
 milem ad superbos, & obstinatos, atque ^{dat inuocan-}
 stolidos, & ignaros ipsosque erudiens cum ^{tibus cum.}
 humilitate dicam, Nolite fieri sicut ^k Amor ad
 equus, & mulus ^k in quibus non ^{Deo obediens}
 est intellectus, per equum superbi ere- ^{dum homines}
 ctæ ceruice peccataque sua defendentes ^{trahere de-}
 significantur, per mulum verò stolidi ^{bet, & non ti-}
 peccatorum onera sine discretione por- ^{mor, terror, &}
 tantes ^{mine quibus}
^{solent à malis}
^{compesci com-}
^{plures veluti}
^{equos, & mu-}
^{los lupatis, &}
^{freno, ad obe-}
^{diendum do-}
^{minis suis com-}
^{pellunt cerni-}
^{mus.}

tantes designantur: ij ergo si non corri-
 gantur sed similes brutis quibus non est
 intellectus fieri velint. Tu domine, In
 chamo, & freno maxillas eorum
 constringe, qui non approximant
 ad te, Si enim non conuertantur, & ad
 te non approximant per pœnitentiam,
 dignum est ut à te per pœnam corri-
 gantur, & constringantur. Quare sicut
 equus per frenum, & mulus per cha-
 mum artentur, & maiori, ac minori
 tribulatione iuxta culpæ exigentiam
 confringantur. Si verò chamo, & fre-
 no minimè domentur, digniori flagello
 dignum est ut castigentur, quare sequi-
 tur, Multa flagella peccatorum^l, il-
 lorum inquam peccatorum qui obstina-
 ti sunt multa flagella sunt, & in præ-
 senti vita, pariter & in futura. Spe-
 rantem autem in domino miseri-
 cordia circundabit^m, Nec immeri-
 tò, in tua enim diuina misericordia spe-
 rantem,

l Omnes cum
 nascimur &
 turpiter, &
 crebro in pec-
 cata labimur
 & ob id multa
 flagellis ca-
 gemus.

m Qui sub
 pœnarū acer-
 bitate verè
 ex corde resis-

rantem, & non in mea magna iustitia Piscit, ad Deū
q; conuertitur
procul dubio
misericordiā
consequitur.
 circumquaque vallabit diuina mise-
 ricordia ne aliqua mihi ex parte obesse
 possit diaboli malitia. Magna igitur
 domine, magna inquam letitia, magna
 exultatio, magna que gloria est speran-
 tibus in te, adeo quod eis bene dici po-
 test propheticum illud, Lætamini in
 domino & exultate iusti, & glo- n Emundato
dus est anis
mus & à ma-
larum cogita-
tionum spinis
repurgandus
vt in domino
letetur, &
exultet: laus
enim in ore
peccatoris spe-
ciosa à Deo
minimè repua-
tatur.
 riamini omnes recti corde. *Qui*
sunt iusti? qui recti corde? hi quidem,
qui non in se sed in domino sperant,
& non suae sed diuinae se conformant
voluntati. Quod quidem Christus
docuit dicens, Non sicut ego volo
sed sicut tu vis. Ostendens in capi-
te quid in membris futurum esse de-
beret. Hi ergo non in se sed in domi-
no letantur, exultant tandemque glo-
riantur: letantur quidem tacita sua-
uitate gaudentes, exultant eximio
cum gaudio feruentes, & foris quid
 inte-

interius habeant ostendentes, & tandem feruore charitatis extra se in te Deum transeuntes gloriantur. O utinam domine, ô utinam sic detur mihi non in me sed in te letari, exultare, & gloriari, ut sic humiliatus capiti me conformans veraciter efficiar

membrum CHRISTI,

qui tecum sine fine

viuit & regnat

in secula se-

culorum.

Amen.

IN TER-

I N T E R T I V M

P O E N I T E N T I A L E M

Psalium oratoria
paraphrasis 3.



Domine Iesu Christe, cui nunquã sine spe veniã supplicatur, cum plura duobus prioribus psalmis de timore, ac culpa dolore tibi colloquendo prædixerim, & nunc aliqua de spe veniã tibi supplicãdo loqui præposuerim semper tamen ad priora relabor, & pœnã timore, ac culpa terrore perterritus tibi iterum repetere compellor.

Domine ne in furore^a tuo arguas me, neque in ira tua corripias me.

Ego siquidem domine Deus de peccatis pœnitens peccatorum conscius, & grauius afflictus, Ego, inquam, in malis positus peiora timens, & inde lugens multis crucior modis. Cruciatus autem

Psalm. 37.

a Ira & furor in Deo plebisque in scripturis horrendum est signum: indicant iudicium: iudiciumque pauorem quo afficitur anima, cum præterita sua rememorãs peccata mirũ in modum expãnescit.

C gra-

gratis amplector, & sponte tanquam
 minores de meritis meis mecum à te nõ
 iniuste sed piè actum reputans si per
 eos aeternis à pœnis liberer, quare sup-
 plex oro ut tu domine arguas me, &
 corrigas, ac corripias non in indignatio-
 ne tua, vel in feruente ira, & furore
 sed in pietate, & misericordia: ita ut
 pœna mea non ab ira ad aeternam ul-
 tionem, sed à misericordia ad piam cor-
 rectionem deueniat. Sufficiant tibi do-
 mine mala quæ hac in presenti vita
 patior, ne in futuro peiora infligas. Sa-
 nè: sagittæ^b tuæ infixæ sunt mihi.
 Sagittæ tuæ vindictæ sunt tuæ, dolores
 scilicet corporis, & animæ: sicut enim
 sagittæ intenduntur, & deinde infigū-
 tur, ita vindictæ tuæ intense in Adam
 propter eius inobedientiam fuerunt, &
 deinde nobis per originalem culpam, &
 multiplicem pœnam infixæ sunt. Ipse to-
 tius eius miseriæ fuit origo, nos propago
 sumus.

^b Habet enī
 Deus sagittas
 suas quibus
 vulnerat, &
 medetur. Mor-
 tis memoria,
 ac iudicii, vna
 cum conscien-
 tiæ testimo-
 nio, atque bo-
 norum amissi-
 forum remini-
 scentia sagit-
 tæ sunt qui-
 bus peccator
 vulneratur:
 misericordia
 autē Dei per
 Christum eius
 filiū operata
 sagitta est qua
 peccator me-
 detur.

sumus. Sed ueh mihi, quia sagitta tua non ad modicum tempus, nec ad unicū vulnus infiguntur, sed diū, & vsque in seculi finem permanent, multisque modis, & corpus, & animam vulnerant, sicq; in sagittis tuis confirmaſti super me manum tuam, & vindicta tua, quam proh dolor quovsque confirmaſti super me ut dicere valeam, Non est fanitas in carne mea à facie iræ tuæ. Porro enim mortale corpus tot miserijs subditur ut si sanum dicatur non bene sanum est, & si quid leuiter læditur saepius grauius infirmatur. Est autem hæc carnis meæ multiplex miseria à facie iræ tuæ, id est ab instantia vindictæ inchoatæ, quid plura? Non est pax ossibus meis, hoc est interioribus viribus meis, sed est continua pugna ab infirmitate, & carnis rebellionē procedens, & hoc à facie peccatorum meorum. Huius enim miseria

c Non est in rebus conditis immanior atrocitas & confusio cum illa equiparanda, quā homo suæ malæ antea actæ vitæ conscius ex animo quanti periculi fuerit Deum peccado irritasse cogitans quid meruerit.

d Magna profecto nostris erat indigentia, magna ægrotudo, magnis vulnus pro quo sanando Dei filium nostras omnes infirmitates subire peropus fuit.

ria meæ causa non solum originalis culpa est sed simul, & actualia peccata mea, unde sequitur, Quoniam iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum, & sicut onus gra-

e Vide in quâ rerum desperationem sese immergat interdum anima, ut ea sua se sponte oneret sarcina quam ferre nequeat.

ue^e grauata sunt super me. Quia enim iniquitates meæ caput animæ meæ rectam scilicet rationem supergressæ sunt, & eleuauerunt caput meum superbum contra te Deum, ideo tu domine graui pœnarum onere aggrauasti me, hoc autem non tibi domine sed mihi reputo.

f Fœdius è re crudecente cicatrice dimanant pus & sanies quam prius è viuo ulcere & aperto emanauerat.

Quoniam putruerunt, & corruptæ sunt cicatrices meæ f à facie insipientiæ meæ. Ideo enim iniquitates supergressæ sunt, & super me aggrauata, quia cicatrices meæ, & peccatorum meorum plagæ prius per baptismatis lauacrum sanata, putruerunt cum iam peccato consentij, & corruptæ sunt dum iam peccatum in quod consenseram ad actum propria volun-

tate

tate reduxi, totumque hoc à facie in-
 sapientiae meae & , quia stultè gratiam
 baptismalē perdididi, & eius viribus sa-
 pienter usus minimè fui. Quare mi-
 ser factus sum, non una solùm sed
 multiplici miseria afflictus, & incur-
 uatus ^h, & ita ad terrena deiectus
 ut ad superna me erigere non valeam.
 Nisi ergo tu domine me erexeris in hac
 miseria, & curuitate, & hoc vsque
 in finem, id est, vsque ad mortem
 tota die contristatus ingrediebar,
 hoc est, tota vita in hac permanens tri-
 stitia huius vitae viam gradiens ambu-
 labam sabbatum, id est mentis requiem
 quam optabam haud inueniens, quo-
 niam non est impijs pax ait scriptura,
 nec quidem mirum: Quoniam lum-
 bi mei impleti sunt illusionibus ⁱ,
 & non est sanitas in carne mea.
 Heu me miserum, heu me non immeritò
 contristatus sum, quoniã non tantum non

^g Qui sapiens
 est non huma-
 na sapientia
 praeditus pec-
 catis non vulo-
 neratur, velu-
 ti insipiens,

^h Solent enim
 qui molli sunt
 incuruari &
 proni in ter-
 ram aspicere
 quemadmodum
 & ii faciunt
 qui aliquod
 pondus ferunt.

ⁱ Cum vehemen-
 tioribus
 quis rerum ve-
 nerearum flā-
 mis incendit-
 tur, ardet tot-
 us neque in
 eo pars vlla
 est quāvis ab-
 dita, & intia-
 ma quae tunc
 non ebulliat:
 & ideo bene
 dixit propheta,
 non est sa-
 nitas in carne
 mea.

C 3 est

est sanitas in carne mea, id est nō solum tentatus sum ab infirmitatibus, & carnis meae rebellionibus, sed etiam lumbi mei, id est carnalitas, & sensualitas mea illusionibus diabolicis non solum carnis peccato, & ipsius infirmitate, sed diaboli fatigatione vexantur. Quid plura? lumbi carnis meae, & vires animae meae illusionibus ita replentur ut vix orare queant. Propterea clamabat Apostolus, Infelix ego quis liberabit me de morte corporis huius. Quare non immerito corpore simul, & anima Afflictus sum, ^k praefatisque vexatus miseris, & inde nimis humiliatus. Humiliatus quippe quia prius superbus eram, & inde agnoscens imperfectionem meam, & propriam meam miseriam humiliatus sum, propterea que Rugiebam à gemitu cordis mei. Gemitus corde, & rugitus voce fieri solet, ego autem non voce sed gemitu rugie-

Paulus
^k Vera enim penitentia nō tantum in rebus constat externis, quā tum in amaritudine animae & cruciatu: nam sic penitere debet cruciati ut amarior sapiat in animo, quod ante dulce fuit in vita, & quod prius delectavit in corpore, cruciet in mente.

giebam, & cum magno animæ desiderio ipsius consolationem quærebam, non in oris verba sed in cordis gemitum prorumpens. Est enim carnis gemitus, & mentis, hic enim pro sabbato, id est spiritali requie quam caro non obtinet dicitur, ille vero de exterioribus, & ab oculis carnis dependens appellatur. Et quoniam mentis, & cordis gemitum nō homo sed tu Deus noscis: ideò Domine, Ante te omne desiderium meū, & gemitus meus à te non est absconditus, imò meritò exauditus, quia pius es, & pro caelestibus, & non pro terrenis exaudis. Sic ergo domine desiderium meum ante te, id est tibi gratū, & acceptabile audi, & illud cum gemitu meo exaudi. Accelera domine, & citò exaudi, quia Cor meum conturbatum est in me, pauore concussum ac timore. Hocq; ideo quia Dereliquit me virtus mea, hoc est virtus

C 4 quam

quam ante peccatum habui, & in baptis-
 matis fonte recepi. Si hæc enim in
 me permansisset nihil penitus terreret.
 Sed cur hæc me dereliquit? quia etiam,
 Reliquit me lumen oculorum
 meorum, & ipsum non est mecū.
 Deus meus, qui es lumen verum illu-
 minans omnem hominem venientem
 in hunc mundum: Tu, inquam, qui es
 spirituale lumen meorum, intellectus o-
 culorum non es mecum per gratiam
 tuam, sed meam ob culpam dereliquisti
 me. Et ideò minimè perpendere licuit
 peccatorum meorum grauitatem, &
 quàm miserabilis factus essem. Sed ha-
 ctenus tibi domine confessus sum mala,
 quæ interius patior, nunc autē ea plan-
 go quibus exterius crucior. Nam ami-
 ci mei, & proximi mei aduersum
 me appropinquauerunt¹, & ste-
 terunt, hi qui ad humanum solatium
 esse debuerunt, ad passionum cumulum
 mihi

¹ Vident in-
 terdū nostras
 amici miseri-
 as, & plagas,
 verum contra
 hiscere neu-
 tiquam au-
 dent, tantum
 abest vt suc-
 currant, par-
 tim animi in-
 gratitudine
 infecti, par-
 tim metu corū
 qui innocen-
 tiam affligere
 soliti sunt des-
 terunt.

*mibi modò sunt. Et qui iuxtà me
 erant tanquam hostes & aduersarij
 de longe steterunt. Et meritò à me
 recesserunt, quoniam à te peccando re-
 cessi, meritò humanam admisi amici-
 tiam, quia tuam diuinã perdidisti gratiã.
 Nec solùm ab hominum persecutione
 crucior, sed demonum tentatione.
 Vim enim faciebant, qui quære-
 bant animam meam. Demones
 nanq; animam meam ad eternam dã-
 nationem querentes, malignam per ten-
 tationem vim mihi faciunt non modò
 per se ipsos sed per suos ministros, de
 quibus bene sequitur. Et qui inquire-
 bant mala mihi locuti sunt vani-
 tates, & dolos tota die meditabã-
 tur. Hi qui amici, & proximi esse de-
 buerant meditando contra me dolosa,
 & vana: falsa, & deceptoria verba
 loquendo inquirebant mala mihi per-
 dendi me cupiditate. Tales autem men-
 dosi,*

dosi, & dolosi diaboli, quorum pater mendax est, mysterium exercent. Ecce ergo domine quibus malis crucior, quibus illaqueor, & tamen, quia ijs maiora meruisse fateor, ideo iniurias, opprobria, inimicorum sycophantias, ac calumnias sine murmuratione patior, unde sequitur, Ego autem tanquam

m Corruptis enim mundi tribunalibus, quibus coram mutire solent innoxii, noxii vero libenter audiri nostras hic omnium qui in arumis vitam agimus, calamitosam discutiedis in calis causas relinquere de-

n In Deo colenda est fiducia, non in homine quamvis potente, aut amico, nec in diuitiis, dignitatibus, regnis, & magistratibus,

furdus non audiebam, & sicut mutus non aperiens os suum ^m.

Nihil opprobrii respondebam, Factus sum sicut homo non audiens, & non habens in ore suo redargutiones. Quia arguentes me non redarguebam, imò redargutiones patienter ferebam. Sed cur hac omnia tam patienter

sustinui? Quonia in te speravi tu exaudies me domine Deus meus.

Ideo, inquam, mala sustinui, & patienter pertuli propter te domine, quoniam non in me sed in te speravi. Et quia per pœnae patientiam culpæ exoptavi ven-

niam,

niam, ideo tu domine Deus meus libe-
 raliter veniam elargiendo, & conse-
 quenter gratiam, & gloriam exaudies
 me. O magna patientiae virtus cui pec-
 catorum venia elargitur, & per veniā
 meritorum gratia, per gratiam verò
 præmiorum gloria contribuitur. O sa-
 lutaris medicina per quam tristitia, &
 aduersa in letitiā cōmutantur. Adhuc
 autem domine ideo exaudies me, quia
 in te sperando minimè diffido sed ve-
 raciter fidentiam habeo. Quia dixi
 nequando supergaudeāt mihi ini-
 mici mei °, Non enim ex superbia,
 & presumptione, imò ex spei pietate,
 & cum religione dixi, quia tu Deus
 exaudies me, ex hoc enim dixi ne ini-
 mici mei, & detractores supergaudeāt
 mihi, si me in te sperantem non profice-
 re sed deficere videant. Meritò enim
 canent iusti ne de eorum lapsu inimici
 exultent, quare sequitur, Et dum cō-

solus enim
 Deus verax
 est & omnia
 ditissimus in
 uocantibusq;
 acturum sub-
 uenit.

o Nihil enim
 tam gratum
 esse potest Deo
 quam si iudi-
 cia sui erga
 homines amo-
 ris (ut puta
 molestias vi-
 ta huius, &
 flagella) ea
 suscipiantur
 animi man-
 suetudine &
 modestia, pro-
 ut cōuenit cae-
 tera diuinitus
 mundo colla-
 ta beneficia
 suscipi.

mouen-

mouentur pedes mei, id est dum affectiones ex humana infirmitate in peccatum labuntur irrident impij. Et super me magna locuti sunt, id est magna scandala opprobriaq; loquendo ubi potius si essent pij infirmitati meae compati deberent, eamque accusando humanae miseriae humanitus misereri. Sed adhuc domine exaudies me.

Quoniam ego in flagella paratus

p Nihil iustius homini accidere potest quam Dei circumdari flagellis, suisq; transfodi iaculis quorum vulnere melior efficitur: eaq; insigitur nota, quae omnibus ipsum verum Dei esse filium ostendit.

p. Sciens enim quod filium quem amas, & si quandoque non suauiter, semper tamen salubriter flagellas, Encor, en animus en quicquid in me est tua ad amabilia admittenda vulnera preparatur, & ideo flagella tua paratus sum patienter suscipere, & contra & haud murmurare, sed meipsum accusare. Quia dolor meus in conspectu meo semper. Dolor, inquam, peccati mei à me commissi semper in conspectu meo existit, quare de peccato meo

dum

dum ipsum contra me esse cōspicio semper doleo, undè sequitur, Quoniam iniquitatem meam annuntiabo, ipsam coram te contra me grauius accusando. Et cogitabo pro peccato meo, ipsum in me sollicita cogitatione corrigendo, & à te tuaque miseratione medicinalem curam humiliter postulando. Sed dum medicinam peto tuam ó pie medice ecce quid ad curam meam per te fieri permititur. Inimici autem mei viuunt, & confirmati sunt super me, & multiplicati sunt qui oderunt me iniquè. O salutaris sed non suavis medicina: ó mirabilis, & medicinalis cura, per tuam nanq; permissionem ad meam fit probationem, fit inquam medicinaliter, & salubriter: inimici mei prosperè viuunt hoc in mundo ubi ego gemens in aduersitate laboro: & quod peius est, & mihi grauius, confirmati sunt super me persequendo,

&

& persecutionem exaggerando: & quod
 pessimum, & grauiissimum videtur est,
 Nam qui oderunt me iniquè mala red-
 dentes pro bono non pauci sed multipli-
 ces sunt, & quotidie plures fiunt, de
 quibus subditur, Qui retribuunt
 mala pro bonis ^q detrahebant mi-
 hi quoniam sequebar bonitatem.
 Ipsi verò è contrariò iniquitatem se-
 ctantur. Sed quoniam hæc mala intol-
 lerabilia quippè essent nisi (te iuuante
 tuóq; pio medicamine confortante,) ad
 mea curanda vulnera salubria fierent,
 ideo Ne derelinquas me domine
 Deus meus, à te enim, & non ab alio
 salutem expecto, tu solus auxilium mi-
 hi præstare potes, tu hoc promisisti, in te
 igitur speraui, libera me quoniam co-
 gnoui nomen tuum, protege me quia
 clamaui ad te, exaudi me, & mecum in
 tribulatione sis, & ab ea eripe me, &
 glorifica me. Et si fortè ad tempus me
 ali-

q Inhumas
 nus enim mos
 est malū pro
 bono & iniur-
 rias pro benefi-
 ciiis compensa-
 sare.

aliquando relinquere videaris tamen
me penitus relinquendo. Ne discesse-
ris, oro sed potius tu domine Deus
meus in adiutorium meum in-
tende: domine Deus, inquam, salutis
meae adiuua me, & contra hostes pu-
gna, quoniam sine te, qui es Deus, &
salus mea, victoria salutaris in me ne-
quaquam esse potest. Scis enim quia
amo te, & ideo tu non derelinquas me.
Tu enim es obiectum & causa salutis,
& beatitudinis meae, tu inquam in ad-
iutorium meum intende, nam sine te
nihil boni efficere valeo, sufficien-
tia enim mea ex te est, qui
vuis, & regnas in se-
cula seculorum.

Amen.

I N

IN QVARTVM

POENITENTIALEM

Psalmum oratoria

Paraphrasis 4.

Domine Iesu Christe cui proprium est misereri semper, & parcere, ego miser ad te, misericors Deus, accedo, & peccatorum catena constrictus tuae miseratione pietatis absolui desidero: ego multarum iniquitatum immunditia maculatus ad te munditiae fontem & aquae salutaris, qua immundos mundare potes confugio: & immunditiam meam per tuam misericordiam, aquamque salutarem emundari, & lauari supplico dicens:

Psalm. 50. Miserere mei Deus secundum magnam misericordiam tuam. Peto domine magnam misericordiam tuam quia in me magnam persentio miseriam, peto magnam tuam medicinam, magnam
contra

contra plagam meam: peto miserationis tuæ multitudinem contra iniquitatem meam multiplicē: quare sequitur, Et secundum multitudinem miserationum tuarum, Miserationum inquam à seculi initio exhibitarū quæ peccatorum quamlibet superant multitudinem, Dele iniquitatē meam, ut nullum in me remaneat peccati vestigium: ô exosculandam bonitatem Dei, qui hominem in tantam impietatem post tanta beneficia prolapsus non abijcis pœnitentem. Quare in te domine confidens subiungo, Amplius lava me domine ab iniquitate mea, & à peccato meo munda me, peto domine, & inuoco amplam misericordiam tuam, grauissima sentiens flagitia mea, & ardentibus affectibus deprecor scelera mea non tantum deleri, & abstergi, meque iniquitate probe ablui, plurimum enim fœdatum, &

D de-

deturpatū me sentiens, sed amplius lauari, id est lauando purè mundari, non solūmque operis culpam sed voluntatis quoque reatum abstergi, quod quidem non propter aliquam iustitiam in me existentem peto, sed propter magnam tuam misericordiam, & humanitatem quæ in te, & à te est: in te enim naturaliter, & in affectu miserationis existit, à teque multipliciter in effectu procedit: ut ergo tu domine misericorditer ignoscas non iustitiæ meæ meritum præpono, sed malitiæ meæ peccatum agnosco: & hinc iam miserum me esse sentio: hincq; ad implorandam tuam diuinam, & salutarem opem urgeor: ut denique misericordia, & bonitate tua dignus euadam. & propterea coram te dico, Quoniam iniquitatem meam ego cognosco. Non igitur ut propter misericordiam tuam deseras iustitiam imploro. Scio enim
iustum

*iustum esse ut peccatum puniatur meū,
 sed egomet ipsum punio ut tu non ani-
 maduertas, ipsum agnosco ut tu tua
 misericordia ignoscas, quoniam, Pec-
 catum meum contra me est sem-
 per, Peccatum, inquam meum retro
 me ipsum negligendo, vel dissimulan-
 do minimè pono, sed ipsum cognoscen-
 do, & accusando coram me semper ap-
 pono: & ideo dico, Tibi soli peccaui
 & malum coram te feci. Quid est
 tibi soli peccaui? nonne, & tibi, & pro-
 ximo? veluti & David, qui hoc asse-
 rebat non solum in te sed in fidiſſimum
 militem Vriam per homicidium, &
 in totum exercitum quem huius ne-
 candi causa in periculum abduci iusse-
 rat, & in Bersabee per adulterium
 peccarat, licet hoc totum in veritate
 existat, quia tamen tu solus es qui legis
 præceptum das, per cuius præuaricatio-
 nem peccatur, ideo quantum hoc meo.*

scelere contempsi, & te Deum offendi
ita torqueor, & animo discerpor ut id
vñ sentiam, unum cōquerar ut dicere
audeam, In te unum peccaui, idq; &
quod tuum adeo verbum, & præceptū
contempsi, quod te tantoperè irritaui,
hoc, inquam me enecat, me laniat &
excarnificat, Vt iustificeris in ser-
monibus tuis, in verbis, inquam quæ
precipis iustus, & verax inueniaris,
Et vincas cū iudicaris, id est su-
per eos qui te ex superbia iudicant, &
contra tua præcepta murmurant, &
in eis quasi rigorosum, & iniustum ac-
cusant, ad te, inquam tanquam iustum
ad iudicem confugio, qui quod in te iu-
dicetur, & reprehendatur minime ha-
bes, sed solus inter omnes ita vincis ut
in tui comparatione nullus iustus, aut
verax reputetur, nam Propheta dicit,
Omnis homo mendax, Tu ergo so-
lus Deus verax qui in tua veritate di-
xisti,

xisti, Quacumque hora ingemue-
rit peccator omnium iniquitatū
eius non recordabor, veraciter im-
ple quod promisti ut iustificeris in
sermonibus tuis, & conuertas eos à qui-
bus tanquam immisericors iudicaris,
Tu ergo misericors, tu, inquam iniqui-
tatem meam dele, & miserere mei,
quoniam peccata mea agnosco in teque
solū admissa confiteor, ut iustus agno-
scaris in verbis tuis: tu iniquitatem de-
lendo laua, & ab ea munda me, qui de
peccatis meis veniam postulans inge-
misco dicens, Ecce enim in iniquita-
tibus conceptus sum, & in pecca-
tis concepit me mater mea, o ma-
gna miseria quæ mecum simul ab origi-
ne mea orta est, ideo non immerito in-
gemiscens dico, Vt sanes me, & cures
hanc meam magnam miseriam per tuā
magnam misericordiam, nec hoc ita di-
xerim ut legitimas condēnem nuptias,

D 3 sed

sed quoniã ab Adamo omnis in omni-
 bus trahitur iniquitas, hoc enim opus
 castum ob bonum prolis excusatum in
 coniuge culpam non habet sed peccati
 origo in prole debitam secum attrahit
 pœnam, quare domine, & salus mea nõ
 solum actualem culpam, sed & origi-
 nalem à parentibus traditam tibi hu-
 militer confiteor, quia Ecce enim ve-
 ritatem dilexisti, Non enim in te cul-
 pæ meæ iniquitatem refundo, sed me
 accusando, veritatem quam tu qui ve-
 ritas es diligis fateor: Nam eam confi-
 tentibus peccata dimittis, propterea,
 Incerta, & occulta sapientiæ tuæ
 manifestasti mihi, Mihi inquam
 veritatem confitenti secreta tibi certa,
 & nota sed incerta & occulta huma-
 næ sapientiæ manifestasti mihi, non er-
 go ut cæteri homines per humanam sa-
 pientiam noui, sed certo certius (scri-
 ptura docente & Propheta cantante
 qua-

quacunq̄ue hora ingemuerit peccator
 omnium iniquitatum eius non recor-
 dabor) reuelasti, & notum fecisti mi-
 hi, hac ergo tua promissione securus de-
 fœdatus, & perditus meis iniquitati-
 bus dicere audeo, Asperges me do-
 mine hysopo, & mundabor, ^a la-
 uabis me, & super niuem dealba-
 bor. Sicut enim scriptum est quod in
 solenni illo sacrificio pro peccato, &
 leprosi purgatione hysopus parua her-
 ba, & virtute magna adhibebatur: sic
 ad expiationem mea iniquitatis, &
 peccati, asperges me tu domine humili-
 tate pœnitentiae in charitate passionis
 Christi fundata, quæ parua quidem
 in hominum conspectu putatur, in con-
 spectu autem tuo non magna sed ma-
 xima est. Hac igitur pœnitentia hyso-
 po si à te aspersus fuero mundabor, & à
 peccatis sanus ero, & sicut hysopo pul-
 monis tumiditas curatur sic pœnitentia

^a Certum est
 animarum pio-
 rificationem
 in fide Iesu
 Christi sitam
 esse.

D 4 Chri-

Christi passione roborata mea tumi-
ditas, & superbia omnisq; culpa incli-
natio, quæ ex ea oritur expurgabitur.

Asperges igitur me domine in hac pœ-
nitentiæ humilitate, & concede, ut

Christi passio in me non sit frustrata,

Sic enim mundabor ab iniquitate, quo-
niam tu per humilem pœnitentiam la-

uabis me, & ego per tuam salutarem

gratiam per quam peccatorum dealbã-
tur sordes superniue dealbabor: Scri-

b Mirum
quam immen-
sam animo cõ-
cipiat lætitiã
peccator, qui
post longum
in lachrimis
mœrorem, post
suspiria, post
gemitus, sin-
gultusque à
cordis pene-
tralibus euul-
sos audit tan-
dem in spiritu
consolationis
verba illa, di-
missa sunt ti-
bi peccata,
vade in pace.

ptum est enim si fuerint peccata vestra
sicut vermiculus velut nix dealbabun-
tur, dealbabitur igitur anima mea, &
à peccatis mundabitur gratia tua, &
pœnitentia mea, in hoc ergo secreto sa-
pientiæ tuæ prius mihi incerto, & oc-
culto quod per scripturam postea ma-
nifestasti mihi. Auditui meo dabis
gaudium, & lætitiã *b*, & meritò
quoniam dum audio promissionem tuã
de remissione peccatorum meorũ exul-

tant

tant sensus mei, & gaudium, ac letitiam recipiunt de meritorum retributione, & de hoc non tantum corporei sensus, sed Exultabunt ossa humiliata, id est vires interiores animæ meæ per peccatum, & culpam prius depressa, & nunc gratia tua per pœnitentiam hysopo humilitatis mundata, lauata, & dealbata meritò exultabunt. Sed licet tu domine Deus gaudium, letitiam, & exultationem propter veniæ spem mihi dederis non tamen mihi deerit salutaris quædam tristitia, & spiritualis contristatio propter pœnæ timorem, & culpæ dolorem, ut verè ossa humiliata exultent ad te clamare non desistam, Auerte faciem tuam à peccatis meis, à peccatis meis, inquam, & non à me auerte faciem tuam ea non agnoscendo sed potius ignoscendo, à peccatis meis non uno sed generaliter omnes iniquitates

c Cor omni
 abrasa im-
 puritate &
 inquinamēto,
 templū subi-
 to sic Dei, vir-
 tutumq; om-
 nium domici-
 liam, atq; al-
 tissimarū con-
 templationis
 vas capax.

d Semper no-
 uo indiget au-
 scilio vetusta
 nostra imbeci-
 litas.

tates meas dele, quibus deletis Cor
 mundum crea in me Deus ^c, ô do-
 mine, & misericors Deus nemo potest
 in me cor creare mundum nisi tu solus,
 cuius, & non hominis creatio est, &
 quoniam ante peccatum innocēs eram,
 & per peccatum postea à rectitudine
 declinaui, ideo nouo propter omnium
 creatorē in me corde creato Spiritum
 rectū innoua ^d in visceribus meis,
 renoua, inquam, spiritum meum, eum
 rectum faciendo, quem à te prius rece-
 dendo, & ad terrena conuertendo obli-
 quum feceram. Nec cordis mūditiā,
 aut spiritus rectitudinem mihi fieri pe-
 to in mente solū sed in carne etiam,
 & ideo dico, In visceribus meis, id est
 in lumbis, & renibus meis in quibus
 voluptatis sedes existit, in utrisque er-
 go anima scilicet, & corpore remedium
 peto curationis, ideo, Ne proicias
 me à facie tua, à peccatis meis faciem
 dixi

dixi ut auerteres sed à facie tua ne
proiicias me, à peccatis enim faciem
auertis cum per remissionem peccata
dimittis: peccatores autem à facie tua
proiicis, cum per reprobationem repro-
bas, hanc pertimescens, & illam sup-
pliciter exoptulans exoro, Spiritum
sanctum tuum ne auferas à me,
Iam enim quod modò spiritum sanctū
tuum, hoc est Spiritus sancti donum
habere confido, quia peccati ipsum con-
fitendo me continuè pœnitet, cum, &
vera peccati confessio non ex me de
meipso sed ex Dei dono procedat, non
ergo à me hunc spiritum auferens sed
per eum, Redde mihi lætitiā sa-
lutaris tui, Salutaris, inquam, gratiæ
Spiritus sancti sine qua nec culpæ re-
missio nec gloriæ retributio percipi po-
test: hanc ergo non auferas oro sed red-
dere, & confirmare exopto, & sic
Spiritu principali confirma me,
ô mira

ô mira & magna Davidis supplicatio,
ut enim sanctam & indiuiduam Tri-
nitatem ostenderet ter spiritum expli-
cavit, spiritum scilicet rectum, spiritum
sanctum, & spiritum principalem, per
spiritum enim rectum Filium intelle-
xit, quem secundum promissionem mit-
ti desiderabat, spiritum sanctum ter-
tiam Trinitatis personam declaravit,
spiritum verò principalem patrem esse
conclusit, ipse enim principalis est verè
Deus nõ de Deo, Filius Deus de Deo
est, spiritus verò sanctus ab utroque
procedit. Sic etiam ego miserrimus pec-
cator hanc sanctissimam Trinitatem
confiteor, & per hanc tertiam spiritus
nominationem multifariam spiritus
sancti gratiam intelligere volo quia ani-
ma mea ut ad rectitudinem reducatur
indiget: per spiritum enim rectum gra-
tiam accipio, & peto, quæ in septem
virtutibus, theologicis tribus, & qua-
tuor

tuor

tuor cardinalibus confertur, quibus anima ad rectum operandum dirigitur per Spiritum sanctum: illam postulo quæ in eius septem donis contribuitur, quibus ad facilius, & expedite operandum anima iuuatur, per Spiritum principalem gratiam desidero quæ in septem donatur beatitudinibus, quibus anima ad bene operandum non modo eleuatur sed quodam modo confirmatur. Hanc igitur multifaria spirituali gratia rectificari, sanctificari, & confirmari in me merito piissime domine exopto: si hæc enim Spiritus sancti beneficia à te piissime, & humanissime domine recepero tibi ingratus minimè fuero: Nam si hoc tua piissima bonitate feceris Docebo iniquos vias tuas^e, qui prius peccator fueram verus prædicator efficiar, quia non tantum verbo sed exemplo docebo vias tuas, quæ sunt misericordia, & veritas: & sic Impij ad te conuertentur,

^e Verus enim
penitens cuique
à spiritu longos post
fletus se factum
esse Dei filium
per gratiam
redditur testimo-
nium atque
omnia propter
ea remissa illi
esse peccata,
tanta afficitur
charitatis ardore
ut illud ipsum
spiritus donum
in alios effundi
peccatores mirabiliter
exoptet.

tur, per me de tua misericordia qua
mihi per veniam partitur salubriter
edocti, & de veritate, id est iustitia
tua qua peccatum meum per pœniten-
tiam punitur admoniti: ut ergo sic ini-
quos docere, & impios conuertere va-
leam, & vias tuas non tantum ipse te-
ram sed, & alios (quoscunque adhuc
peccata abs te alienant) in eas adducã,
Libera me de sanguinibus, hoc est
de peccatis carnis, & sanguinis qua de
eorum corruptione procedunt, libera
me inquam ô Deus qui es Deus salutis
meæ longè à carnis & sanguinis cor-
ruptione existentis. Caro enim, & san-
guis, hoc est peccata qua ab eis proue-
niunt regnum Dei minimè possidere
valent, nisi enim ab ijs prius me li-
beraueris iniquos docere vias nequibo-
tuas, nam mihi peccatori improprian-
do dices, Quare tu enarras iustitias
meas? Liberatus autem, & ab im-
pro-

pro-

*properio securus, Exultabit lingua
 mea iustitiam tuam, Iustitiam in-
 quam tuam qua impios terrificas, &
 tunc, Domine labia mea aperies* *f* *f* *Ad celebrā-*
labia prius per peccata clausa. Et os *das diuinas*
meum annuntiabit iustitiam tuā, *laudes, & scia-*
Os non tantum cordis sed corporis an- *tē & castē,*
nuntiabit iustitiam tuā videlicet quod *cor prius, lin-*
me creasti: me creatum, & genitū per *guam postea,*
baptismum regenerasti, & regeneratū *atq; os à Deo*
in peccatisque sepè relapsum non reli- *moueri oportet.*
quisti, sed pœnitentem ad te reuocasti,
reuocatūmq; mundasti, pro quibus be-
neficijs te non velle asseram sacrificia,
& pecudes tibi offerri sed laudū ostia
tibi preponi, Quoniam si voluif-
ses sacrificium dedissem, Sicut in
veteri lege fiebat: sed iam in noua lege
gratie in qua Christus verus Deus,
& homo apparuit nobis, Vtique ho-
locauftis non delectaberis, Illa e-
nim solū umbra, & legis nouæ figuræ
erant

erant, ideóque veritate adueniente ces-
sarunt: quid ergo tibi offerendum? non
pectoris sacrificium sed, Spiritus cõ-
tribulatus cor contritum, & hu-

g Sacrificia quibus Deus placatur, sũt, animus pœnitentia fractus, & cor dolore concussus, & vulneratum.

miliatum &, Cor inquam contritum
pœnitendo ad peccandum non obstina-
tum, & humiliatum confitendo ad ex-
cusandum non eleuatum, tu Deus quia
cordis secreta conspicias, nunquam de-
spicias, sed utique tanquam meo in spi-
rituali sacrificio delectaris, ideo Beni-
gne fac domine in bona volunta-
tate tua Syon, hoc est effectum bonæ
voluntatis, & misericordiæ tuæ osten-
de per effectum piæ benignitatis, &
tuæ miserationis, hoc inquam fac Syon,
id est ecclesiæ militanti, ut ex eius vi-
uis lapidibus Christi scilicet fidelibus
edificentur muri Hierusalem,
non terrenæ sed cælestis Ecclesiæ trium-
phantis nõ solum piissime Deus te oro
pro mea sed pro totius ecclesiæ salute,

ut

ut omnes tua pijsima, & immensa mi-
 sericordia eius fideles edificentur tan-
 dem, & fiant in ipsa caelesti Hierusa-
 lem excelsi, & inexpugnabiles muri
 ibidem firmiter permansuri, & Tunc
 acceptabis sacrificium iustitiæ,
 tunc inquam post presentis seculi con-
 summationem, & finalis iudicij conclu-
 sionem, sacrificium acceptabis non im-
 perfecta iustitiæ sed pœnitentiæ, quæ
 nunc est humiliati, & contriti cordis,
 perfectaeq; iustitiæ in gloria cõsumma-
 tæ: Sacrificium etiam laudis acceptabis
 quæ tunc cordis erit non quidem ge-
 mentis, & lugentis, sed in gloria letan-
 tis, & exultantis: tunc Acceptabis
 oblationes, & holocausta, non car-
 nales sed spirituales, spiritus scilicet,
 & sanctorum animas tecum in gloria
 absumptorum, qui holocausta domino
 erunt igne, hoc est charitatis feruore
 succensa. Tunc imponent super al-

E tare

tare tuum vitulos, tunc, inquam, Angeli imponent sanctos, id est offerent tibi super altare tuum Christum scilicet in quo tanquam principali fundamento superedificatur omne sanctorum meritum, cui aeternum redditur premium, & in cuius passionis virtute superimponitur omne sacrificium tibi acceptabile, super hoc altare imponent, & offerent vitulos non boues antiquos sub iugo peccati mugientes, sed vitulos nouellos, novos scilicet sanctorum populos sub innocentia nouæ ætatis, & sub baptisate regeneratos ab omniq; vetustatis seruitute liberos. Tu ergo domine, tu miserere mei, & da mihi ab hac spirituali Syon, ab hac Ecclesia militante in qua tanquam in via peregrinando ad illam caelestem Hierusalem, ad illam triumphantem Ecclesiam ad quam tanquam ad patriam perducimur cum sanctis tuis finaliter peruenire merear, &
inter

*inter muros ciuitatis huius firmiter per-
manere: da mihi mitissime domine in-
ter eiusdem ciuitatis ciues te faeliciter
videre, videndo amare, & amado gau-
dere, & ita meipsum acceptum tibi sa-
crificium, & holocaustū coram offerre,
Qui viuis, & regnas in seculorum se-
cula Amen.*

IN QVINTVM

POENITENTIALEM

Psalmum oratoria

Paraphrasis 5.



*Domine Iesu Christe qui
verus rex gloriae existis re-
ctorque illius sanctae super-
naeque ciuitatis Hierusalem
ad eam nimirum tecum peruenire de-
sidero, hic enim ciuitatem permanētem
non habemus sed futuram illam per-
quirimus ad quam ingredi festinare*

E 2 cum

cum deuotione debemus : hanc itaque toto affectu desiderans ad eamque festinans suspirando clamare, & clamando suspirare compellor, & dicere.

Psalm. 101.

Domine exaudi orationem meam, & clamor meus ad te veniat. Cōgruit mihi domine ut ego tanquam pauper, & inops in via presentis miseria, diues in caelestis gloria patria fiam feruentiq; desiderio anxier, precemque meam in conspectu tuo humiliter effundam, ideo Domine exaudi orationem meam, & clamorem meum, iam enim propter magnam animi anxietatem oratio mea in clamorem creuit, orans igitur clamo, Heu me quia incolatus meus prolongatus est, heu me quia nimis in via afflictus sum, & à patria elongatus, quare Non auertas faciem tuam^a oro in quacunque die tribulor & inclina ad me aurem tuam, & insuper, In quacunque

^a Benigno nos vultu aspicit Deus cum boni sumus, truci vero, aut nullo penitus cum mali.

cunque die inuocauero te veloci-
 ter ^b exaudi me, quia coram te do-
 mine oro, & ad te Deus meus clamo:
 da mihi igitur, & non auertas faciem
 tuam, concede mihi aurem tuam, osten-
 de, inquam faciem tuam non irritam
 sed placidam per veram clementiam
 tuam accommoda aurem non contra
 me indignatam sed per misericordiam
 tuam ad me inclinatam. Scio enim do-
 mine quòd utique veluti oro libenter
 faciem, & aurem dabis, nisi peccato-
 rum nubes mihi obsistat, & iniquorum
 orationibus obstet. Tu igitur rumpe nu-
 bem, & effunde contra eum vultus tui
 lumen, & sic non auertes faciem tuam,
 & aurem tuam non declinabis à me
 orationibusq; & clamoribus meis, sed
 à peccatis, & iniquitatibus meis ut
 illas auertas concupisco, & quoniam
 te vehementer clamo, & inuoco velo-
 citer exaudi me, quia non terrena sed

b Maxima
 quidem peric-
 cula, maximã
 praesidii cea-
 leritatem pos-
 stulant, omnis
 quippè mora
 periclitanti
 longa esse so-
 let, & quan-
 doq; letalis.

E 3 quasi

*quasi celestis celestia opto, cui desiderio
 adhuc (te loquente) permittis ut lo-
 quar, Ecce adsum, nec immeritò, nam
 instanter velocitèrque exaudiri peto,
 & aegritudinis, ac doloris mei magni-
 tudinem quæ tanta est ut omnem vi-
 gorem absumat faciátque ætatem meã
 subitò consumi & fumi instar euane-
 scere: quia Defecerunt sicut fumus
 dies mei, Sicut enim vento fumus
 dispergitur, ita dies vitæ meæ deficiunt,
 & velut umbra anichilantur, Et ossa
 mea sicut cremium aruerunt,
 Non modò vires corporis sed animæ
 quæ ossa dicuntur quia in eis principa-
 liter interior fortitudo mea consistit,
 sicut cremiũ arescens contracta sunt,
 & velut in frixorio confricta, fortitu-
 do quippè animi mei à peccati recorda-
 tione, & iudicij timore, quasi fricta cõ-
 trahitur: ecce ergo domine, ecce pauper-
 tatem meã qua anxior: ecce tribulatio-
 nem*

nem quam patior: ecce dolorem quo concutior, & affligor: ecce domine qualiter percussus sum vt fœnum^c, quia^c omnis caro fœnum, & veluti fœnum viret, & percussum facilem sentit iniuriam, sic caro mea in iuuentute virēs senectute aut infirmitate percussa, & morte succisa arescens deficit, & ad terram decidit: & cor meum sterilitate peccati ventōque superbiae ardet, & arefactum ad terrena procidit. Sed unde hoc mihi? Quia oblitus sum comedere panem meum, id est custodire Dei præceptum, quod quidem spirituale meum nutrimentum est, de quo bene dicebatur, Non ex solo pane viuit homo, sed ex omni verbo quod procedit ex ore Dei. Heu miserum quia hunc panem, panem inquam verum qui de celo descendit comedere oblitus sum, quare oblitus? quia nimis ad terrena intentus neglexi ca-

^c Flos quidē aut herba à fœnifecis incisa perlans guescit illicò, & arefcit, sic est vita hominis, sic est cor humanum in pectore maxime exagitato præ dolore cura & anxietate, atque id magis si cibo abstinet.

lestia, & ideo A voce gemitus mei
adhæsit os meum carni meæ, quia
enim celestium oblitus, & terrenorum
meorum non pro spiritualibus, sed pro
temporalibus gemebam propterea à vo-
ce gemitus mei, id est desiderij inordi-
dinati adhesit os meum carni meæ, id
est vox gemitus oris mei adhesit car-
nali meæ affectioni, vel principalis for-
titudo virium animæ meæ, quæ ratio
est, adhesit carni meæ sensualitatis sci-
licet consensit: nunc verò iam de me (te
propinante) alter fieri cupiens non pro
terrenis sed pro æternis gemere concu-
pisco, & cum Propheta dicere, Renuit
consolari anima mea, & annos æ-
ternos in mente habui. Sed quomo-
do hæc fieri possunt? sanè te domine iu-
uante, & tui tuorumque æternorum
bonorum contemplatione, & si huius
seculi seculariumque viventium homi-
num conuersationem fugiam, & eli-
gam

gam abiectus esse in domo Dei mei magis quam habitare in tabernaculis peccatorum, & sic similis fiam sancto tuo Davidi qui ait: Similis factus sum pellicano^d solitudinis, & sicut nicticorax in domicilio, & iterum, Vigilaui, & factus sum sicut passer solitarius in tecto. O magnum breuibus in verbis mysteriū, tres aues, & tria loca hic distingui videntur, tres aues, inquam, Pellicanus, Nicticorax & passer in tecto: Pellicano soli, & vagæ aui quæ in solitudine habitat heremite comparantur, Nicticoraci verò in domicilio habitanti illi assimilantur qui à publico loco remoti non heremo vagi sed uno in loco uniti viuunt, dicentes, Ecce quàm bonū, & quàm iucundum habitare fratres in vnum. Passeri verò in tecto solitario vnicus ille comparatur qui hominum societate non egens sed soli Deo vnitus viuens

^d Sola enim peccata atq; in Deum iniuria id merito sibi vendicant quippe quæ cum maxima sunt hominem prorsus obbrutescere faciunt, in aliamque ferè vertunt speciem.

uiuens ad altáqu e virtutum tecta fu-
giens, ubi à vitiorum laqueis tutus asse-
rit cum exultatione, Vnam petij à
domino, hanc requiram vt inha-
bitem in domo domini, nec solum
in domo sed in altiori loco, in ipso domi-
no Deo meo: ipse est ergò qui habitat in
adiutorio altissimi in protectione Dei
celi commorabitur, ipse est qui non tan-
tùm pro se sed pro alijs vigilat, & pro
omnibus vigilans orat ut à mundi, car-
nis, & diaboli laqueis (te adiuuante
Deo, & protegente) liberentur. O uti-
nam ego miser, & peccatorum laqueis
inuolutus ijs auibus similis efficiar, &
tecum sim à seculi sollicitudine fugiens,
& in solitudine maneam ne in taber-
naculis peccatorum residens cum per-
uersis peruersus fiam. Nam tota die
exprobrabant mihi inimici mei,
peruersi sunt, & ideo inimici, ipsi enim
tanquam peruersi continuò exprobrant
mih

mihi fama mea detrahentes. Et qui
 laudabant me, non corde, sed ore fi-
 ctè publiceq; adulando Aduersum
 me iurabant, falso proditoriè & a-
 uarè conspirando, adeo quod hostium,
 & peruersorum contumelijs quotidie
 exagitor, & opprobrijs, ita quod cala-
 mitosum mihi aliquod iurantes impre-
 cantur, sed quare? Quia cinerè tan-
 quam panem manducabam, &
 poculum meum cum fletu misce-
 bam, Ij peruersi videntes (domine
 Deus) me cinerem manducantem, &
 fletu bibentem, id est in statu pœniten-
 tiæ existetem sæpè sæpius irrident cùm
 prius me cum eis seculo fruerer, & per-
 uersè viuerem laudarent sed inde cùm
 cinerem tanquam panem id est pecca-
 torum reliquias pœnitendo consumerè,
 & poculum meum cum fletu id est tem-
 poralem iucunditatem cum pœnitentiæ
 lachrimis iungerem, & miscerem ac cæ-
 lestis

e Asperum
 profectò illud
 est doloris ge-
 nus cùm do-
 lorum cumulo
 alius adici-
 tur omnium
 acerbissimus.

lestis patriæ desiderium penitus pro illius
dilatione non sine lachrimarum effusio-
ne tristarer exprobrabant mihi, & con-
tra me iurantes coniurabant: sed unde
fletus iste? A facie iræ indignationis
tuæ, id est ab instantia vindictæ tuæ
in Adam coactæ cum qua non ego so-
lus sed omnes qui ab eodem naturam
trahimus de progenie iniquitatis, & de
peccati massa nati sumus, & omnes
natura filij iræ: ex tua ergo ira, & in-
dignatione procedit quod, Eleuans
allisisti me. Tu qui me alienis eleuasti
ad imaginem me creando tuam in quo
me omnia animalia superare uoluisti,
tu me grauius elisisti in actualis pec-
cati genere cadere permittendo cuius
culpa ad grauissimam ignis æterni mi-
seriam trahit, quam solus homo, & nul-
lum aliud animal pertimescit, quia so-
lus ipse super cuncta eleuatus animan-
tia beatæ vitæ æternæq; gloria parti-
ceps

ceps fieri potest. Heu mihi domine quia
 allisisti me, quia super omnia extollēdo
 deiecisti me, & ad maximam ac vehe-
 mentem deiectionem deuenire permi-
 sisti, nam quæ elata deijciuntur gra-
 uius colliduntur, quare: Dies mei si-
 cut umbra s̄ declinauerunt, & ego sicut fœnum arui, Veh mihi
 domine veh iterū quia dies vitæ meæ
 sicut umbra obscura, & vana quasi in-
 utiles transeunt, & declinando defi-
 ciunt, nec immeritò, quia à te vero Deo
 declinaui, & dies mei declinantes simi-
 les mihi facti sunt, & ego sicut fœnum
 arui, sterilitate culpæ propter defectum
 roris gratiæ, sed quia allisus cecidi iam
 de te confisus per te subleuari cupio:
 iam terrenus ego, & temporalis, ac tem-
 poraliter declinando pertransiens ad te
 confugio, æternus enim es immutabi-
 lisq; ac immutabiliter durando perma-
 nens, & in æternum, ideo tu domine
 æternus

f Nihil vma
 bra inanius,
 ipsa enim et
 si grandior oc-
 cidente sole
 apparet, ma-
 gnitudo tamē
 illa eò propior
 sic nocti quò
 maior vide-
 tur, non secus
 sanè est vita
 hominis.

eternus me temporalem, & veluti umbra transeuntem ad tuam eternitatem eleuando ut salues, & liberares oro, Et memoriale tuum in generatione, & generationem, memoria enim tua per quam nostri in misericordia tua memor es, omni tempore est permansura nec unquam à misericordia deficiet nec promissio tua deerit, quare cum iratus fueris domine contra me misericordia recordaberis, & sic tu Exurgens domine misereberis Syon, Syon enim speculatio interpretatur per quam animam meam intelligere volo qua te Deum nunc per speculum in enigmate speculari nititur: ad me igitur te quarentem ad teque consurgere cupientem tu exurgens, & quasi ei clementer occurrens misereberis eius, te sibi misericordem, adiutorem, & subleuatorem exhibentem, Misereberis, inquam, Quia tempus miserendi eius quia venit tempus.

pus.

pus. Venit enim plenitudo temporis,
& tempus acceptabile ait Apostolus:
quo tempore quia acceptabile est, &
dies salutis verè misereberis animæ
meæ te speculari nitentis, quare? Quo-
niam placuerunt seruis tuis lapi-
des eius, & terræ eius miserebun-
tur, Lapidēs veri animæ meæ sunt fi-
deles & optimi propositi quibus nititur
tibi inherere, & militati Ecclesiæ, quo-
niam seruus tuus sum, & filius ancillæ
tuæ: Fideles, inquam, propositi firmi, &
stabiles in Christiana fide, & spe nihil-
ominus solidi, & in charitate persisten-
tes. Ij nimirum placuerunt seruis tuis,
seruis inquam, id est sanctis tuis Eccle-
siæ triumphantis, qui tibi in tua san-
cta, & caelesti Hierusalem summa cum
libertate seruiunt, ibi enim Deo seruire
regnare est: Ij ergo sancti tibi in tuo re-
gno seruientes, & tecum liberi ibidem
regnantes, Terræ eius miserebun-
tur,

tur, *Miserebuntur inquam terra, id est terrena miseria à qua ipsi quoque remoti, & ad caelestia eleuati nō solum misericordes erunt sed etiam (quia eandem miseriam aliquandò passi, & experti sunt) ut miserearis orabunt: Sed quid inde sequitur? Et timebunt gentes nomen tuū domine, & omnes reges terræ gloriam tuam, gentes, inquam, & reges qui prius nomen tuum timere nescierunt, & demum maiorem esse gloriæ quàm superbiæ potentiam intellexerunt, timebunt nomen tuum, seruos se recognoscentes, & te eorum verum dominum facientes, quare hoc? Quia ædificauit dominus Syon, & Ecclesiam suam magnificauit edificando, & ipsa quæ prius coram gentibus, & regibus in contumelia visa sunt, Videbitur in gloria sua, & quæ prius ab eis superbis contumeliosè persequebatur postea ab eis humilibus*
glo-

gloriosè honorabitur. Sed quare hac
 omnia? quia Respexit in orationem
 humiliū & scilicet Christi fidelium qui
 in eius fide humiliter orabāt ut ecclesie
 suæ, & animæ meæ fœliciter euenirent
 & ideo Non spreuit preces eorū,
 quia non singulariter pro se orabant sed
 generaliter pro fidelium omnium salu-
 te, & hæc utique est oratio perfectio-
 rum: & quoniam non decet ut tot tan-
 tāque beneficia à Deo Ecclesie, & fi-
 delium animabus collata ab homine
 quasi ingrato sileantur, ideò sequitur,
 Scribantur hæc in generatione al-
 tera, ut scripturæ cōmendata firmiter
 teneantur non solū in antiqua gene-
 ratione, & Mosaica lege sed in gene-
 ratione altera scilicet noua generatione
 Christiana, & sic Populus qui cre-
 abitur, id est noua creatione in Chri-
 sto regenerabitur, Laudabit domi-
 num, & non immeritò, Quia pro-
 F spe-

g Solēt enim
 pleriq; mortu-
 lium cōtra dia-
 uisæ bonita-
 tis modum, eo
 insolentiores
 esse, ac magis
 tumidi, quo-
 is qui supplex
 est humilis ve-
 stitus est veste,
 aut minus or-
 nato loquitur
 sermone: tua-
 ment enim su-
 percilio no-
 strates proce-
 res in humiles
 spiritu, in de-
 iectos & bo-
 nos.

spexit de excelsa sancto suo do-
 minus de caelo in terram aspexit,
 ô mira benignitas Dei! prospexit de
 caelo, & terram aspexit, Ut audiret
 gemitus compeditorum, humiliũ
 scilicet, & pœnitentium timore Dei
 eiusq; disciplina, quasi quibusdam com-
 pedibus ligatorum: timor enim tuus ô
 domine, & disciplina in pœnitentium
 protectionem, & eorum fortitudinis
 compedes existunt, unde benè Sapien-
 tia dicebat, Audi fili, & ne abiicias
 consilium meum, & infer pedem tuum
 in compedes illius, & erunt tibi in for-
 titudinis protectionem, non solùm ergo
 de caelo prospexit, ut compeditorũ ge-
 mitus audiret, sed Ut solueret filios
 interemptorum, scilicet fideles Chri-
 stianos filios Apostolorum, & Martyrũ
 crudeli interemptione à gentibus, &
 regibus mortificatorum. quid plura? de
 caelo prospexit ut humilium Christia-
 norum

norum

norum gemitus audiret, & vincula sol-
 ueret, & Vt annuncient in Syon
 nomen domini, & fidem Christi à
 quo nominantur, & laudem eius in
 Hierusalem, & sic annuntient ut an-
 nuntiando proficiant: in quo? In con-
 ueniendo populos in vnum, &
 reges seruiant domino, hoc est,
 ut diuersarum populos gentium, & di-
 spersorū reges conuenire faciant in uni-
 tatem fidei Christi, & morum fidelium,
 non ut seruiant mundo carni vel dia-
 bolo, sed ut seruiant domino Deo suo,
 Scriptum est enim, dominum Deum
 tuum adorabis, & illi soli seruias, sed
 quid sequitur? Respondit ei in via
 virtutis suæ, quis est qui respondit?
 quis respōdendo loquitur domino? quis
 in superioribus verbis exprimitur? cui
 responsio congruat supra eam cōmemo-
 rantur compediti, interempti reges, &
 populi Syon, & Hierusalem, sed quo-

niam singulariter respondit non ad eos qui pluraliter nominantur referri posse videtur, unde unitas pro pluribus, id est tota Ecclesia quæ unica est pro cunctis fidelibus ipsaque tanquam unum corpus pro omnibus membris respondit, inquam, domino gratias agens quod eam prospicere, eam audire, & à vinculis solvere, & eam ad sui nominis laudem excitare eandemque ex varijs populis ad unius Dei seruitium congregare dignatus est, respondit ergo ei non voce sed corde, non lingua sed vita, non in infirmitatis via sed virtutis, & in Christi fidei firmitate quæ fides nostra est cuius virtus in patria minimè est, eius enim obscuritatem vera gratia claritas euacuabit. Respondit ergò Ecclesia domino, & quid dixit? Paucitatē dierum meorum nuntia mihi, Respondit ergò, & orat quasi dicens, ô domine Deus meus quia dixisti quod
Eccle-

Ecclesia permanebit, & tu cum ea usq;
 ad seculi consummationem eris, nuntia
 mihi, & fac me cognoscere ac diligen-
 ter attendere quàm breue quàmq; exi-
 guum hoc durationis meae tempus in
 tua aeternitatis cōparatione fuerit, oro
 ergo ut adueniat regnum tuum cupiens
 huius seculi finem, utq; cito ad regni
 tui beatitudinem perueniam, dierum
 meorum breuitatem desidero ut citius
 ad dierum tuorū aeternitatem transeā,
 quare, Non reuoces me in dimi-
 dio dierum meorum, ^h Ne sinas, ^h Ne sinas
 inquam, me ab aeternorum desiderio re-
 uocari, & temporalium curae inherere
 in dimidio dierum meorum, dierum, in-
 quam, praesentium qui praeteritorum
 & futurorum mediū sunt ac imperfecti
 nisi aeterni addantur, haud immeritò à
 terrenis qui ad aeterna accedere cupio
 reuocari peto, & ideò auidius appeten-
 da, quia In generatione, & gene-

^h Persuasio
 ea est peri-
 uolissima, cum
 quis longam
 sibi pollicetur
 vitam que
 tam breuis est
 ut umbrae in-
 magini com-
 paretur.

rationem anni tui, id est sine fine
 principio duraturi. Non sunt ergo anni
 tui sicut dies mei, anni enim tui aeterni
 sunt: dies mei exigui, & transitorij, an-
 ni tui in aeternum permansuri: nam
 ipsi aeternitas sunt quae nihil quàm sub-
 stantia tua, nihil habens mutabile, nil
 praeteritum nilque futurum, & quia
 ex aeternitate procedis ideo sequitur,
 Initio tu domine terram fundasti,
 initio scilicet tēporis tu qui es sine tem-
 pore sine principio, & sine fine in aeterni-
 tateque immutabilis semper manens.
 Et opera manuum tuarum sunt
 cæli, Verbo enim tuo cæli firmati sunt:
 Nam quod verbo facis hoc etiam &
 virtute tua operaris, non enim corporeis
 membris distinctus es, Ipsi peribunt
 tu autem permanes, Tu enim sem-
 per stabis dans cuncta moueri, immu-
 tabiliter permanens, sed ipsi cæli qui in
 tempore verbo tuo firmati sunt non si-
 cut

cut

cut tu sed (verbo tuo iubente) peribunt,
peribunt, inquam, quo ad eorum quali-
tatem & si manserint in te manebunt,
quia solo tuo verbo perire possunt, Et
omnes sicut vestimentum vetera-
scent, omnes, inquam, tam caeli quam
etiam angeli & ceterae res mutabiles,
nisi eos verbo tuo seruares veluti vestis,
quae vetustate consumitur, deficerent,
& de nouitate in vetustatem accede-
rent tandemq; perirent, & ideo sequi-
tur, Et sicut opertorium mutabis
eos & mutabuntur, Caeli enim, qui
temporalia & cuncta mutabilia ope-
riunt verbo tuo moues, & sicuti eos cir-
culariter moues, ita solo verbi tui arbi-
trio si volueris totaliter mutabuntur &
ad nihilum reducentur & hoc ut sicut
bonitate & potentia tua ipsos creando
demonstrasti sic ipsos destruendo si pla-
cuerit potentiã ostenderes, Tu autem
idem ipse es, Tu, inquam, qui solus di-
F 4 xisti,

xisti, Ego sum qui sum, idem ipse es,
 & licet omnia ex te per te & in te sint,
 non tamen sunt quod ipse es, tu enim
 mutans es omnia & non mutatus, fa-
 ciens non factus mouens omnia sed im-
 mutabilis permanens, & ideo Anni
 tui non deficient. Anni tui, id est
 deitas tua sine sicut initio creabit & in
 generatione & generationem anni tui
 non deficiet quia ipsi eternitas tua sunt.
 Dum ergo domine dum tuam immuta-
 bilitatem tuamque eternitatem & mea
 creaturarum omnium mutabilem va-
 rietatem non solum extrinsecam sed in-
 trinsecam variamque vanitatem consi-
 dero nimirum ad te venire & tecum ha-
 bitare concupisco nec a desiderio frau-
 dari aut spe mea frustrari vel habita-
 tione tua priuari tristis diffido, imo le-
 tus sequentia Davidis verba audio,
 Filij seruorum tuorum habitabunt,
 ex hoc enim leta mihi oritur fidentia,
 filij

i Piorum ani-
 ma eternam
 adeptura es
 runt felicitas
 cum Deo
 qui eternus
 est & immu-
 tabilis.

filij seruorum tuorum, imitatores scilicet
Apostolorum & omnes qui pœnitentia
ducti & ab iniquitate tua gratia mû-
dati in eadē æternitate tua habitabunt
de quorum numero esse cupio, qui san-
ctorum filius non per carnalem propa-
gationem nec per generationem sed per
imitationem & operum bonorum ope-
rationem tua præueniente & subse-
quente gratia & tua misericordia co-
mitante existo. Scio enim quòd qui te-
cū habitare desiderat præsupposita gra-
tia tua & misericordia ab operibus bo-
nis sterilis esse non debet sed piè & iu-
giter ut intret in terram uiuentium ea
sequi necessarium est. Nonne & Ioseph
patrem suum Iacob in Ægyptum præ-
cessit? eiq; & fratribus suis dixit, Ego
præueni parare vobis escas, sic non
tantum præcedere debuerunt serui tui
Apostoli tui, scilicet & alij sancti sed
& eorum filij nos præcedere opus est,
id

id est opera nostra bona gratia tua & misericordia comitante parare epulas refectionis aeternae. Et semen eorum in seculum dirigetur, Semen enim bonorum operum meritum est, de quo scriptum est, Qui seminant in lachrimis, hic scilicet in via in qua mereri & demereri possumus cum exultatione mentent in caelesti patria, hoc, inquam, semen de quo fructus gloriae metitur in seculum dirigetur non à me ipso, sed à te domine Deus dirigetur inquam, quia tua gratia media de bono in melius bonum opus in hoc seculo ascendet & demum semen eius à te in caelum directum & erectum ibi tanquam in horrea in aeternum conseruabitur. Da igitur mihi domine Deus da tua gratia & misericordia non meis meritis, & fac me ita hoc semen bene operando seminare ut inde fructum possim metendo percipere, da piissime domine & fac semen
istud

*istud ita in me per te fructificare & ad
te ita dirigere ut in te & in tua aeter-
nitate sine fine valeam permanere &
cum sanctis tuis societatem habere in
secula seculorum. Amen.*

I N S E X T V M

P O E N I T E N T I A L E M

Psalmm oratoria
paraphrasis 6.



*Domine Iesu Christe fons
& origo totius pietatis &
gratia dñ ego sicut cervus
ad fontes aquarum ad te
venire desidero meñ recognoscens im-
perfectum & de me meaque virtute
propria diffidens ad tuae misericordiae
auxilium meaeq; miseriae refugium tan-
quam reus cum clamore & ex intimo
cordis suspirio clamando & suspirando
cordis affectibus confugio dicens,*

De

Psalm. 129.

De profundis clamaui ad te domine, Scio enim domine & Deus misericors te aliquando seruos tuos dimittere, & sæpe ipsos grauius affligi sinis quo pleniore animo à mundi se uanitate recipiant, quare ego in peccatis submersus & ab eis propria mea uirtute eleuari diffidens non solum de exterioribus oris labijs sed de profundis & intimis cordis affectibus clamaui ad te dicens, Domine exaudi uocẽ meã, idẽmque repetens alijs uerbis exclamo, Fiant aures tuæ, id est auditus clementiæ tuæ, Intendentes in uocem deprecationis meæ, Nec frustra sæpè sæpius varijsq; uerbis eandem orationis deuotionem explico, quia ad effectum meæ mentis exprimendum uocis meæ organum minimè sufficit, nec cordis desiderium unà cum carnea lingua satis exprimere potest, quare non immeritò ad te clamo de profundis cordis mei

mei

mei affectibus, qui me non in uno solo profundo sed in pluribus tam interioris quam exterioris miseriae afflictum esse sentio. Cupiens igitur quandiu in miserabilis vitae via sum de profundis, id est de peccatis & aduersitatibus quibus premor surgere, de profundis clamo, & quia huius clamoris vox omne profundum penetrat & ad tuas diuinas aures usque peruenit licet de clamore meo alij qui ad te clamare nequeunt & de malorum profundis surgere non velint irrideant, ad te tamen de profundis omnium interiorum virium exclamo ut me de iniquitatum profundis clementer eripias. Nam certo scio humanarum virium inconstantia, hominem in profundissimis tribulationibus positum in charitate perseuerare minimè posse, quia Si iniquitates obserua-ueris domine, domine quis sustinebit, ô magnum profundum, ô abyssus
multa

mula profundaque ac nimis periculosa. Ecce enim undique circumspectis omnibus nullum bonum sed ubique malum videns cateruas scelerum meorum cernens nimirumque pauescens exclamo dicens, o domine Si iniquitates obseruaueris, ut me exaudias domine, non ad delicta mea precedentia attendas deprecor: nam si ad vindictam aeternam iniquitates meas seruaueris domine quis sustinebit, te tantum iudicem malorum & bonorum praemiatores, nullus enim te sustinere poterit: nam nullus est nisi seductus & a veritate vacuus qui se peccatorem non cognoscat, Scriptum est enim, Si dixerimus quia peccatum non habemus nos ipsos seducimus & veritas in nobis non est. Non ergo de mea iustitia sed de tua misericordia praesumam, Quia apud te propitiatio est, Si enim iniquitates obseruaueris & earum iudex solum esse volueris

ris

ris & non misericors nulla quippe mihi spes esset, nulla consolatio nullum denique refugium, sed quia apud te propitiatio est, id est quia pius es & misericors, Et propter legem tuam, legem amoris, gratiae & charitatis in qua reis das veniam & pœnitentibus remissionem promittis, & quia ego legem tuam (tua gratia præcedente) seruavi pœnitentiãque meorum peccatorum egi & quotidie de eis agere præpono, Sustinui te domine, propter tuam promissionem sperans & sperando expectans de iniquitatibus meis misericordiam tuam, hocque domine quia omnia nosti non solum tibi confiteor sed etiam alijs & omnibus in huiusmodi præpositis notum sit manifestò dicens, Sustinuit anima mea in verbo eius, cuius eius? in verbo eius cuius verbum non fallit nec fallitur, non in hominis verbo qui mendax

dax est: nam Omnis homo mendax
ait Propheta, sed in verbo Dei qui ve-
rax est & ipse promisit & dixit, Qui
perseuerauerit usque in finem vitam
eternam habebit & ex hoc sustinuit
anima mea sperans in tribulationibus
victoriam, & in bonis operibus (Dei
gratia adiuta) perseuerantiam & con-
stantiam, & ideo, Sperauit anima
mea in domino, in domino inquam
Deo & non in homine sperauit qui
verbo suo infallibili per peccatorum ve-
niam regni celorum pœnitentibus glo-
riam repromisit, sperauit in domino qui
potens est & perseuerare facere ac re-
munerare sperauit inquam, non ad tem-
pus, non ad horam sed a custodia
matutina usque ad noctem, à cu-
stodia matutina, id est à vigilia matu-
tina quæ est diei principium sperauit
usque ad noctem, quia quælibet fidelis
anima in domino à principio vitæ usq;
ad

ad

ad mortem sperare debet & à prima
 luce virtutum in qua à Deo custoditur
 usque ad mortem à spe minimè defice-
 re, sic ergo Speret Israël in domino,
 non solum unus speret sed totus fide-
 lis populus quia non uni soli sed multis
 dictum est, Sperate in domino omnis
 congregatio populi, effundite coram illo
 corda vestra: meritò igitur speret Israël,
 omnis scilicet fidelium congregatio spe-
 ret, inquam, perseverantiam & remu-
 nationem, Quia apud dominum
 misericordia, non magna solum, non
 accidentalis sed naturalis & actualis
 permanet, Et copiosa apud eum re-
 demptio, quia non solum originalia
 sed etiam actualia redemit peccata:
 nam Filius eius Iesus in suo adventu
 per veram eius passionem genus huma-
 num ab originalibus & actualibus re-
 demit peccatis, & nunc ipse filius pro
 nobis apud patrem interpellat, & ideo

pioſa apud eum redemptio. Sed mirum
 eſt cum Davidis tempore nõdum redẽ-
 ptionis tempus adueniſſet copioſa apud
 eum redemptio, dixiſſet, ſanè mirũ no-
 bis eſſe debet: ſed Deo ſemper copioſa
 fuit redemptio, hoc enim quod David
 propheticè innuit, hoc eſt apud domi-
 num ſecretum ſemper præuiſum ſem-
 pèrque prouiſum ſed non ſemper copio-
 ſè ac planè apud homines exhibitum,
 niſi tempore legis gratiæ. Quando ve-
 nit, ait Apoſtolus, plenitudo temporis
 miſit Deus filium ſuum factum ſub le-
 ge ut eos qui ſub lege erant redimeret,
 unde tandem impletum eſt quod Da-
 uid propheta olim prædixerat, Et ipſe
 redimet Iſraël ex omnibus ini-
 quitatibus eius, nunc ergo domine,
 nunc maximè oportunum tempus eſt
 ut de profundis fluctibus miſeriarum
 ad te miſericordiarum fontem claman-
 do conſurgam & de me meaque propria
 vir-

vir-

virtute diffidens de te tuáque gratia
 ac pietate sperando confidam & ad
 tuam copiosissimam redemptionem cō-
 fugiam: dignum quoque & iustum est,
 ut tibi ô piissime domine Iesu Christe
 gratiam agam apud quem particulari-
 ter hæc copiosa existit redemptio, &
 hæc non immeritò specialiter in te dici-
 tur esse quia tua in cruce passio tuíque
 preciosi sanguinis in eadem oblatio non
 solum pro unius aut paucorum hominũ
 salute sed pro totius Israëlis, pro totius,
 inquam, Ecclesiæ, pro totius mũdi plu-
 riumque, si forent, seculorum redem-
 ptione copiosè sufficere perhibetur, &
 ideo dicitur, Et ipse redimet Israël, ipse
 Christus scilicet, totius mundi redem-
 ptor, per cuius ergo passionis virtutem
 & sanguinis effusionem te deprecor ut
 à peccatis meis & à pœnis quas pro his
 mereor me redimas, redemptumque ab
 eis eripias & ereptum tecum perfrui

*æternitatis tuæ concedas vitam mihi
conferendo æternam: itaque pro Dei
misericordia consequenda ad æternam
fœlicitatem confidenter clamo ad te
Deum patrem de profundis meæ caci-
tatis ad tuæ diuinæ lucis sublimitatem,
nec vereor domine & clementissime
Deus ego abyssus miseriæ te diuina
miserationis abyssum inuocare. Scio
enim te solum esse qui me & Israël
omnem, id est omnes pœnitentes redi-
mere potes & à peccatis mundare
per Iesum Christum filium
tuum & dominum no-
strum, qui tecum
viuit & regnat
in secula se-
culorum.
Amen.*

IN

IN SEPTIMUM
POENITENTIALEMPsalmum oratoria
Paraphrasis 7.

Domine Iesu Christe qui
in te sperantes non deseris
ad te clamantes non despi-
cis te quarentes non fugis
& te desiderantes non respuis te hu-
militer supplico ut mihi qui in praece-
denti oratione mea propria virtutis
diffidentiam confessus sum tua potenti
virtute spiritualis letitiae sobriam ex-
ultationem elargiri digneris, ad quam
impetrandam suspirans dico,

Domine exaudi orationem meam, Psalm. 152.
auribus percipe obsecrationem
meam, Etsi saepe saepius o domine ad
te cordis mei pedibus qui affectus sunt
cucurri ut orationem meam audires,
iterum in praesentiarum domine pater

G 3 mi-

*miseri- cordiarum & totius consolationis
 illud idem repetere non erubesco ut ora-
 tionis meae repetitio deuotionis sit con-
 firmatio, nec me tedet semper orationis
 uerba reiterare quia saepius iniquitatis
 opera reficio, & ideo quod in iustitia
 mea non exaudias peto sed in tua ue-
 ritate: nam tu qui uerax es & in ue-
 ritate pœnitentibus ueniam promisisti
 exaudi me pœnitentem, scilicet in tua
 & non in mea iustitia, in tua, inquam,
 misericordia & ueritate quæ pœniten-
 tem iustificat: peto enim eam tuæ mise-
 ricordia iustitiam quam in presenti se-
 culo exerces & non illam quam in fu-
 turo seculo exercebis, illam tuæ miseri-
 cordia iustitiam peto quā non ex meis
 meritis sed quam tuæ iustitiæ prestare
 est & pœnitentibus promisisti, quare
 ad te confugio domine, domine exaudi
 orationem meam pro peccatis meis ad
 te porrectam, da effectum orationi meae
 &*

&

Et remitte peccata mea, Et si plenā orationem exaudire non vis saltem Auribus percipe obsecrationem meā, Et exaudi me in veritate tua, propter veritatem tuam scilicet complendam. Dixisti enim, Conuertimini ad me Et ego conuertar ad vos: exaudi dico me in tua iustitia, à qua decidi, restituendo in obseruantia scilicet præceptorū tuorum per quam iustificor, exaudi deprecor in veritate Et in iustitia tua, id est per filium tuum qui veritas est Et vera iustitia per quem omnes iustificamur. Et non intres in iudicium cum seruo tuo, Ego enim non amicus tuae amicitia propter meam iniquitatem dignus, nec filius quia patrem te ob peccata reliqui sed tantum seruus tuus sum, qui à te fugitiuus misericordia indigens veluti prodigus ille ad se conuersus ad patrem in quem peccauerat rediit, ad te reuertar pacemque quero.

G 4 Non

Non ergo tu domine in futuro intres
mecum in districtum iudicium cum il-
lis qui iustitiam suam iactantes de ea
maximè præsumunt quibus per Pro-
phetam dicitis, Quid vultis mecum
iudicio contendere omnes dere-
liquistis me, Non sic ego, sed iustitiã
meam coram te nullam esse reputo, quia
seruus tuus sum, non superbus, non con-
tra stimulum recalcitrans, sed tibi per
omnia obediens, ideo deprecor non in-
tres in iudicium cum seruo tuo, Quia
non iustificabitur in cõspectu tuo
omnis viuens, Nam si apud te quis
suo iustificetur iudicio (cum nemo vi-
uentium sic iustus esse possit ut tu in eo
multa verissimè & iuste reprehendere
& punire possis) non iustificabitur in
cõspectu tuo, quoniam interiora &
occulta hominis vides, in quibus nemo
perfecta præditus est iustitia aut ab o-
mni iniustitia & peccato immunis, ne-
mo,

mo, inquam, iustus aut mundus tuo iudicio, quantumlibet sanctus hominibus videatur, & ideo nullus iustificabitur in conspectu tuo, quare Paulus aiebat, Nihil mihi conscius sum sed non in hoc iustificatus sum. Sed heu me quia non tantum homo sed omnis viuens, id est etiam Angeli in conspectu tuo non iustificabuntur, quid ergo ego miserimus & mortalis efficiam si tu iustus iudex intras in iudicium cum seruo tuo quia tu solus es in quo peccatum minimè cadere potest, in cuius conspectu etiam astra & omnes cali in quibus posita sunt munda minimè existunt. Non intres ergo mecum in iudicium sed piè & misericorditer age, Quia persecutus est inimicus animam meam, Inimicus, inquam, caro mea, mundus & diabolus, qui verè omnes inimici mei sunt & semper persequuntur me quærentes deuorare animam meam, perse-

cutus

cutus est animam meam tentando, affligendo & contristando ac prauè suggerendo, & Humiliauit in terra vitam meam, humiliavit, inquam inimicus meus quantum in se fuit subiugare, deicere & prostrare conatus est in terram vitam meam, id est rationem qua uiuit & ab alijs differt animalibus anima mea ut ipsa ad terrena suis suggestionibus ita inclinaretur ut caelestia relinqueret & sic tota terrena facta vilis & detestabilis efficeretur, & hoc non solum in me inimicus meus totis suis viribus efficere conatus est sed Collocauit me in obscuris, in obscuris inquam, id est in prauam peccandi consuetudinem ita perduxit ut tanquam cæcus nil boni uiderē & peccata mea non cognoscerem sed illa naturaliter in me esse putarem. Collocauit me inquam, in obscuris & fecit me, Sicut mortuos seculi, id est sicut ceteros
pec-

peccatores nō spiritualiter uiuentes sed
seculariter in peccatis morientes. Fecit
me, inquam, tanquā unum de mortuis
seculi qui pro amore seculi in anima
mortui sunt, & ideo, Anxiatus est su-
per me spiritus meus, in me tur-
batum est cor meum, Videns do-
mine Deus inimicum meum à persecu-
tione non cessare & in obscuris me col-
locare uelle, & sicut mortuos seculi me
efficere prae dolore considerans pericu-
lum in quo fueram anxiatus est spiritus
meus, id est anima mea in me ipso per-
territa est, & cor meum turbatum est
in me propter tot mala in quae incidi &
continuo incidere possum putans me
nullum recuperationis apud iustitiam
tuam inuenire aditum, ideo anxiatus
& turbatus extiti. Postquam uero an-
xiatus fui & turbatus per multiplicem
inimici consolationem letus factus per
spiritualem tuam o domine Deus con-
sola-

solationem quam adeptus sum per tua
 & operum tuorum contemplationem
 & ex hoc Memor fui dierum an-
 tiquorum, id est dierum aeternorum
 tuæ aeternitatis diuinæ cuius memoria
 in me spiritualem dilectionem & leti-
 tiam causauit. Scriptum est enim, Me-
 mor fui diei & delectatus sum, ex hac
 enim dierum antiquorum recordatione
 ad te deprecandum erectus sum, ex me-
 moria nempe factorum tuorum quibus
 cum in alios tum in me bonitatem tuam
 mirifice declarasti, nihil siquidem est
 quod æquè in spem bonam erigat atque
 gestorum tuorum præssa consideratio.
 Nemo enim adeo peccatis præmitur
 ut non inueniat si superiora secula ex-
 cutiat qui grauioribus aut paribus præ-
 si veniam tamen te Deum misericor-
 dem exorarint, nulla quoque possunt
 tanta circumstare pericula quin facta
 tua piissime domine occurrant reputas
 qui

qui

qui manu tua potentissima & plus aut
æquè difficilibus & ancipitibus erecti
sint, nulla denique terrebit tantopere
formidabilis hostium vis quin gesta
tua largissime domine commemorans
magis aut æquè formidabile fractamq;
diuinitus illicò agnoscat: de hac igitur
factorum tuorū perperensione dixi, Me-
mor fui dierum antiquorum, & non so-
lùm in diebus eternis seu in verissimi-
bus rebus sed etiam in creaturis tempo-
ralibus te æternum & inuisibilem Deū
contemplatus sum, & Meditatus in
omnibus operibus tuis, quibus om-
nibus te tanquam misericordem depre-
cantibus subuenisse didici, Et in fa-
ctis manuum tuarum meditabar:
Quæsiui, inquam, in operibus tuis arti-
ficem, in creaturis te creatorē, in rebus
factis te earum misericordem condito-
rem & reperi tuam creaturam mihi in
speculum factam esse, ut in ea te Deum
meum

meum omnipotentem iustum, misericordem & piū cognoscerem, Inuisibilia enim Dei (ait Apostolus) per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur & sempiterna quoque virtus eius diuinitas, quibus omnibus bene memoratis audaciam cepi, Et expandi manus meas ad te, quia in tuis operibus tua omnia opera bona esse cognoui & non à seipsis sed à te tuæq; bonitatis participatione bona existere percepi, & ideo tibi gratias agens expandi, inquam, in oratione manus meas ad te, tanquam ad bonorum omnium largitorem ex interiori & magno desiderio tuam consequendi misericordiam, Et anima mea sicut terra sine aqua tibi, Non solum ad te expandi manus meas exteriores & corporeas sed omnes vires animi mei, quia anima mea à te derelicta propter iniquitates meas arida facta sicut terra sine aqua fecunditatem desi-

desiderans imbrem appetit, sic anima
mea ne sterilis omnino deueniat & fru-
ctum minimè ferre possit gratia tuæ
pluuiam desiderans abs te aquam sa-
pientia, rorem gratia & fœcunditatis
pluuiam inhiare non desinit & ut in-
fundas deprecatur, tu ergo Velociter
exaudi me domine, dando citò gra-
tia pluuiam quia sitiuit in te anima
mea, absque enim dilatione & omni
momento tua indigeo misericordia: si
aquam ergo longius dare differs, Defe-
cit spiritus meus, à te tanquam steri-
lis derelictus defecit, inquam, nisi ei è
uestigio adsis & propter hoc Non a-
uertas faciem tuam, spiritum meum
derelinquendo & ab eo auferendo dif-
ferendoq; gratia tuæ donum, hoc enim
si feceris mihi denegando gratia &
misericordiae collationem, Similis ero
descendentibus in lacum, id est ero
similis in morte damnatis & in hoc se-
culo

culo illis per culpam assimilabor. Ne ergo illis in utroque tempore comparer, Auditam fac mihi mane misericordiam tuam, Fac, inquam, mihi misericordiam tuam auditam à Prophetis, scilicet manifestatam & ab Apostolis in seculo propalatam: fac me sentire interiùs quod exteriùs facis audire, & hoc fac manè, id est citò, manè, inquam quia tandiu noctem & tenebras patior quandiu diuina tua pietas compungit & clementia pietatis indulget, at ubi vox mei pœnitentis audiri cœperit & lux tua per indulgentiam extēdi nox omnis à me abscedit & initium tuæ lucis accedit, in qua luce quis errare potest? nullus, imo veluti in die positus honestus ambulat, manè ergo auditam fac mihi misericordiam tuam Quia in te speravi, in te, inquam, Deum verum, omnipotentem, pium misericordem & summum bonum in quo

quo

quo ut Sapientia cātat, nullus sperauit
 & confusus est, Sperauit, inquam, in te
 quia audiui, Prope est dominus o-
 mnibus inuocantibus eum in ve-
 ritate, & ut citò facias mihi miseri-
 cordiam tuam, quia in te solo spem meā
 posui non in rebus creatis vanis & men-
 dosis. Notam fac mihi viam in qua
 ambulem, Via in quam ambulare
 desidero præcepta tua sunt in quibus
 ut perseuerem fac mihi nota ut sit lu-
 cerna pedibus meis à patre verbum lu-
 minum descendit, tu enim illuminas o-
 mnem hominem venientē in hunc mū-
 dum. Notam mihi fac viam per illu-
 minationem sancti Spiritus, demonstra
 mihi iter ad te perueniendi per obser-
 uantiam mandatorum tuorū per quam
 si ostenderis in lucē ambulabo, & ideo
 Ad te leuavi animam meam, ut in
 eam Spiritus sancti gratiam infundas,
 eleuavi, inquam, animam meam ad te

H Spre-

spretis terrenis & caducis quibus prius
adhæseram & ad te æternum animam
meam erexi, igitur Eripe me de ini-
micis meis domine ad te confugi,
Non à te fugi contemnendo & lucem
tuam postponēdo sed eam quærendo &
postulando, eripe me igitur de inimicis
meis, diabolo scilicet carne & mundo,
qui continē ut in tenebris ambulem
me tentant, eripe, inquam ab inimicis
meis visibilibus & inuisibilibus ut il-
lorum insidiæ & impugnatio mihi no-
cere nec me seducere valeāt. Quoniam
ad te domine confugi, ad te tanquam
verum patronum, ego tanquam verus
cliētulus ut ab inimicis liberer postulo,
& ut meam veram agnoscas volunta-
tem quæ in te est exoro & dico eripe
me, quia ad te confugi verum meū pa-
tronum, verum meum liberatorem &
ut ab eis eripias me adiungo. Doce
me facere voluntatem tuam, Tu
enim

enim qui solus Deus verus es & pater
 misericordiarum & consolationis doce
 me facere voluntatem tuam, id est mā-
 data tua & quicquid me tibi benepla-
 citum fuerit : cū enim voluntatem
 tuam me docueris quia ego ad te con-
 fugi, facere quod vis non desistam : si
 inquam, per Spiritus sancti tui infu-
 sionem mandata tua me docueris &
 spiritus sanctus in me permanserit, spi-
 ritus immundi qui mei inimici sunt per
 Spiritus sancti presentiam ab anima
 mea discedent & fugient. Rogo igitur
 te clementissime pater ut doceas me vo-
 luntatem tuam, Quia Deus meus
 est tu, Deus meus, inquam, quoniam
 me tibi totum tradidi, & ideo æquum
 est ut me doceas voluntatem tuam, quia
 tu es magister meus, Et Spiritus tuus
 bonus deducet me in terram re-
 ctam, Ecce quia supra in memoria æ-
 ternorum & in contemplatione tua &

tuorum operum delectatus sum ne magnitudo contemplationis me extolleret, ne superbia fieret letitia, latis tristitia miscui, post verò tristitiam ad gaudia concutior plenèque spero quòd spiritus meus malus in terram peruersam infernalium scilicet pœnarum si alias perduxit nunc iam non perducet, quoniam Spiritus tuus sanctus scilicet & bonus deducet me in terram rectam, scilicet celestium gaudiorum de qua dicitur, Portio mea in terra viuentium, ad quam terram deducet me Spiritus tuus sanctus per viam mandatorũ tuorum quam mihi notam fecisti, & hoc non propter meritum meum quia hoc minimè merui, sed Propter nomen tuum domine viuificabis me in æquitate tua, propter nomen tuum, inquam quia mea merita desunt, sed tua æquitate dignaris viuificare me in hoc seculo gratiæ vita, & in futuro vita

ta

ta gloria, ego enim per peccatum me occidi, tu autem domine uiuificabis me propter nomen tuum, nomē enim tuum Iesus est quod Saluator interpretatur: ut enim rem nominis tui impleas tu eris mihi Iesus, tu, inquam, eris meus saluator & me uiuificando tua equitate saluabis. Equum est enim ut tua promissione illum uiuifices, qui in te sperat & in te omnem suam ponit fiduciam, hoc enim equitatis tuae iudicio statuisti ut perderes omnes seruorum tuorum inimicos, qui ideo seruis tuis inimici sunt quoniam ipsi tibi seruire student: hanc igitur ob causam, Educes de tribulatione animam meam, Educes, inquam, de tribulatione huius seculi ipsas minuēdo & prorsus in futuro auferendo in tua misericordia & non in merito meo, Et disperdes inimicos meos, quos etiam meritò inimicos tuos dixerim quia in me seruo tuo te domi-


H 3 num


num meum quantū in se est persequuntur & gloriam nominis tui, cui & non mihi salutem meam attribuo dicens, Non nobis domine non nobis, sed nomini tuo da gloriam. Hanc inquam gloriam saluti meæ aduersantur auferrēque conantur inimici mei quare conuenienter adiicio, Et perdes omnes qui tribulant animā meā, diabolū scilicet, & omnes carnales motus corporis mei & cordis mei nec non mundum & omnes in eo obstinatos existentes & me tribulantes. Omnes enim isti nequiter suis insidijs affligere & contristare querunt spiritum meum meque abs te summo bono seducere conantur. Ego enim non aliunde inimicos habeo nec pro quibuscunque terrenis actibus aduersarios, sed ideo inimicitijs dæmonum carnis & mundi laboro, quoniam seruus domini Dei mei esse desidero & totis viribus studeo. Perdes
omnes


omnes igitur qui tribulant animam
 meam, Quoniam ego seruus tuus
 sum, ad te solum in mea tribulatione
 recurrens veluti seruus ad dominū hu-
 milis & fidelis tuo solo cultui, & ser-
 uitio addictus & totus tibi mancipa-
 tus recurro, nec timeo inimicorum meo-
 rum inimicitias, quia illis per te domi-
 num meum dispersis & percuntibus,
 ego ab eorum manibus eripiar & libe-
 rabor propter nomen tuum, id est pro-
 pter Christum dominum nostrum &
 unicum filium tuum, cuius & passionis
 eius meritis me animamq; meam
 licet immeritam & indi-
 gnam commen-
 dare non
 cesso.


Societatis Jesu Paderbornae.

FINIS.











COMPTON PUBLISHING

4128

155